VNICA GENTIS AVRELIAE VALERIAE SALONITANAE DALMATICAE NOBILITAS.

AVTHORE IOANNE TOMCO MARNAVITIO BOSNENSI
Archid. Zagrabiensi, Canonico Zagrabr. Sicensiq;



ROMÆ, Apud Ludouicum Grignanum. MDCXXVIII.

SVPERIORVM PERMISSV.

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI

IVLIO TIT. S. SVSANNAE CARD. SACCHETTO

Legato Apostolico Ferrariæ.

Ioannes Tomcus Marnauitius, &c. F. sempiternam.



NNO superiore S. D. N. VRBANO VIII. Valeriæ gentis nobilitatem ab ipsis religionis nostrę incunabulis, ad hanc ætatem, in Orbe Christiano vnicam; imagine expressam, velut in Cythara decem chordarum, decem ex eadem familia, suam cælo terræq; sonantes exprimentesq; sanctitatem, martyrio omnes fermè illustres Heroes, obtuli; cum eiusmodi Cythara nemini meliùs meo quadraret iudicio, quam Pontifici, cuius tabernacula virtutum eiusdem numeri prorsus, quo Valerij, raro diuinæ gloriæ exemplo, Cythara resonare sentiuntur. at cum idem sanctissimus Vrbanus, inurbanum putaret, sanctorum lumina tàm illustria, vni sibi lucere, vt qui purpuratos non habet, nec declarat illustriores, quàm Martyres, iam



tùm hos eoſdem per hiſtoriolam à me deſcriptam, in publicum gentium omnium Theatrum dari pręcepit. Hinc ne te in nobiliſſima Imperij Eccleſiaſtici prouincia, authoritatem Vrbani tuente, penitùs inſcio, intra penates Valerios, tuæ curæ Senator ampliſsimæ creditos, pedem videar intuliſſe, eandem hiſtoriolam offerendam, dicandamq; neceſſariò duxi tibi. quem non minùs ſacrarum ædium præſulatu, quam virtutum ſuarum incremento præclarum, quadrigaq; nobiliſsimorum germanorum fortunatum; fortunatiſsima quadriga Valeriorum germanorum iure meritò ſuum agnoſcit. Offero itaq; & mea peculiari in te, tuosq; fratres, de me perpetuò optimè meritos obſeruãtia, & obſequio meæ gentis Illyricæ; quæ ſua fatali felicitate, vt in Valerijs ſacris penatibus te ſacrum Senatorem, ita inter Eccleſiæ ſuæ ſanctiſſimos Paſtores, à ſexcentis fermè annis Andream familiæ tuæ ſydus immortale, Varadienſem veneratur Epiſcopum. Romæ. Decimo die Kal. April. triumpho immortali Caij Pontificis illuſtri. MDCXXVIII.

AD

AD ANDREAM SACCHETTVM

Ab hinc quingentos annos VARADIENSEM EPISCOPVM De quinque Fratribus Sacchettis Author.

*Præsul Dacicis quem ditionibus,*
Immanis posito Sarmata Acinace;
Atque Arcu Gethico, Danubij accola,
Tibisciq; vadis Iaziga proximus,
Doctorem coluit, legis & aureæ
Patrem, qui nitidæ splendor Hetruriæ
Immortale decus florigeni soli
Fulges. quem Pario marmore nobilem,
Bis terni spatijs, Vngarus & Dacus,
Sæcli, cum populis Illyridis pia,
Supplex Gangeticis donat odoribus;
Huc vertas oculos sedibus aureis,
Præclaris fruere hic posteritatibus,
Vt post te videas passibus æmulis,
Prolem florigenam scandere sydera.
Marcellum. *Illum respicias arua per Itala,*
Alpinisq; iugis saxa per ardua
Cursantem, Rhodano regnaq; proxima,



Vel

Vel qua fons Sequanæ Lilia perluit,
Diues Oceanum vel Ligeris petit.
Per falsos latices indè Britanniam
Lustrantem penitùs, ne quid in Anglicis
Clausum deliteat forte recessibus.
Hinc gressus iterum Belgica ad æquora
Vertentem, Batauus Marte superbiens
Qua Rheni retinet stagna bicornia,
Vltrà quin etiam rura Menappia
Visentem, Treuiros, siuè Moguntios,
Et qua Danubius profluit Abnoba,
Et qua Danubio conditur Oenius.
Vel qua Theutonicum littus ad vltimum
Albis se exonerat limite Suenico,
Aut feruet Viadrus, Vistula, Vandali,
Germanam patriam qua regit Austria,
Vel Burgundiacos frænat Iberia,
Diuersis genijs, moribus, vrbibus,
Queis visis, Latia denique Regia
Augustis vigeat conditionibus,
Summis proficuus, gratus vt infimis
Ostendatq; pia progenie tua,
Tot Reges fieri, quot genitos dari.
Mat- *Cernas aut alium sedula pectora*
thçum. *Versantem, maneat cui nihil abditum*
Viuaci ingenio, siuè recentior
Aetas quid docuit, siuè vetustior
Virtus transposuit posterioribus.
Non illum pelago terret Iberia,
Alpinisq; suis Gallia rupibus,

Doctis

Doctis afflueret quo minus artibus,
Et vera caperet munera gloriæ,
Fratrum delicium, Romulidum decus.
Alexan- *Tum Martis studijs fortibus alterum*
drum. *Flagrantem, videas ire per exteras*
Gentes, nec gelidis aut aquilonibus,
Altis vel niuibus astra petentibus,
Non riuis rubeo sanguine turgidis,
Stratorum aut tumulis artubus horridis,
Non vasti pelagi vortice naufrago,
Largi vel fluuij tramite ab inuio,
Horrores pauidum linquere Martios.
Sensit Danubius bracchia fortia
Lustrorum spatijs, pectora Martia
Rhenus pertimuit; sensit & incola
Saltus Hercinij, sensit & horrido
Arctoo impauidus sydere Cimbrius.
Neptuno fluido Rugius abditus,
Gutho Vandalica forte ferociens,
Et Saxo extraneis impenetrabilis
Telis, Ausonijs sed penetrabilis;
Defleuitq; potens saltibus, artibus,
Oppressor Daciæ; dum iuuenem tuum
Andreas recreas numine proximo.
Io. *Quadrigam solidæ laudis adauget is*
Francisc. *Distractum assiduè quem grauioribus*
Regnantum Imperijs, nulla beat quies.
Is raro patrijs qui penetralibus
Germana fruitur nobile copia;
Is quem barbarico limite Rhetico,

Quem

Quem pridem Ligurum montibus, arbitrum
Bellorum, tenuit tum reuerentia
Supremi Solij, tum decus Italæ
Libertatis: amor verus Hetruriæ,
Andreæq; tuæ deliciæ domus.
Et qui nunc solita sollicitudine
Bellonæ strepitu dum genus Italum
Commotum quatitur, turbine ab extero;
Regnantum Domini munia sustinens,
Pacis conciliat fœdera perpetis.
Iulium. *Vel hunc quem Pietas sydereo sinu*
Exceptum tenuit matris ab vbere,
Ornauitq; eadem pectore candido,
Cui dotes animi donaq; corporis
Finxit Diua eadem, sydere dextero,
Gratus Principibus, celsus honoribus,
Sic carus populis, quisquis Iulium,
Vt primum videat, dicat is illicet:
Vel membris Pietas fulget Iulij,
Vel dicat: Pietas est Dea Iulius.
Hic quod Romulei patris in omnibus
Rarus conspicitur nutibus, actibus,
Hic quod Sydonio murice cingitur,
Quod gentes placidè temperet Italas,
Tranquilla moderans iura modestia,
Astræamq; trahens denuo ab æthere,
Profundensq; sua perdat inopiam,
Sacchettum genium perpetuo exprimens
Est virtutis opus, sanguinis inclyti,
Commune & reliquis fratribus optimis,

Qua-

Quadrigæ , Pietas quam ſibi conſtruit .
At ſacris Laribus forte Valerijs
Quod ſacro pariter nomine præſidet ,
Eſt ſors ætherei eſt illius ominis
Quod pridem Illyricis te ſolijs tulit,
Andream Daciæ conſtituens patrem .
Hæc illum Illyrico præpoſuit lari
Sacro , Dalmatica perpete gloria ,
Ornas tu veluti Illyricam plagam
Diuis Imperijs , diuus & infulis
Ornat ſic pariter ſacra Valeria
Aurata Illyrio nomine & omine ,
Auratis titulis moribus aureis ,
Diuis Imperijs , diuus vt infulis .
Hinc quem præſidium tecta Valeria
Noſcunt , nobilia hunc geſta Valeria
Poſthac præſidium dulce decus ſuum
Noſcant : æthereis annue ſedibus ,
Floræ flos niueum flos Daciæ vnicum ,
Nunquam flos generis deciduum tui .



VNICA

VNICA GENTIS

AVRELIAE VALERIAE

SALONITANAE DALMATICAE NOBILITAS.

AD IO. TOMCVM MARNAVITIVM

ODE

FRANCISCI SACCI RHEGYNI.

Strophe I.

*V A Liburnorum iuga, qua Timauum*
Spectas, mari dum bella tauriformis
Saepè vndosa mouens arietat, & ferox
Tergeminas hiemes minatus
Sorbet hiatu:
Felix Illyris huc age,
Dignam triumpho summe superbiam,
Indue mox flexura iugales
Aurigantes in frena manus,
Veteresq; linque laudes
Fastu repubescens nouo,
Recocta, at absque Colchicis venenis,
Saeculisq; onusta mille, hic verè sacro cinge tempora.

Anti-

Antiſtrophe I.

Huc & æternos meditata plauſus
Thura adde, ſed ſuccifa non Sabæis
Siluis, rorifrei thura ſed ætheris
Flammiuomi mage colliquanda
Pectoris igne:
Cultrix obſequioſior
Gentis triumphos cerne VALERIAE
Pectora ſed voto icta fideli;
Nam ſacra cernis gaudia gentis:
Polus vndè per triumphos
Nouo beatur lumine,
Nouoq; rurſus omine Imperantum
Perq; faſtus, perq; plauſus dat choreas mille ſyderum.

Epodon I.

Bellorum exuuias tulit
Sat Romana tuæ dextra propaginis,
Nomenq; magni compar trophæi,
Extulitq; ſigna victrix,
Cum rebellis Ingeni
Calcauit hoſtes, bella de bellis ferens.
At hinc abeſte iniqua bella. Numinis
CAIVS, miniſter en adeſt, Pacis vt omen alat
Vitatam ille operatur ad aram:
Ingere nunc thura vt vigilent altaria flammis.

Strophe II.

Arbiter belli piger obsoleta
Nunc arma Mauors exuat, sacraq;
Legis iura fluant, & Fidei comes
Religio legat otiosis
Lilia campis.
Aras indè opulentior
Centum nitentes ditet odoreis,
Vt modo Cæli interpres amici
CAIVS per flores petat aras,
Mage victor vt triumphet.
Currus sit ara celsior,
Cruore Crux amicta sit trophaeum,
Sint flagella dura fasces, nobilisq; Christus Hostia.

Antistrophe II.

Ille stipatus iuuenum corona,
Queis per seuera tela Barbarorum
Gens hæc alta Polo iam caput induit,
Tergemino redimitus auro
Plaudat ad aras.
Sed cur? non imitabilis
Mutescit ergo gloria plausibus?
Victoris sat cerno triumphum,
Sed nulla sonos exprimit aura,
Tuba nulla temperatos
Edet sonora spiritus?
Canora reddat ergo penna plausus,
Munus hoc tui laboris, plaude tu Ioannes obsequens.

Epo-

Epodon II.

An quid iuuat imprimi
Gentis syderea Dalmaticum genus,
Cui Regna frontem, cui serta dextram
Impedire gloriantur?
Muta si vmbra postmodum
Sine corde nomen hostis, atq; hinc gloria
Superba prole Principum silet sua.
Non ista Tomce gloria est, maius at vrget opus,
Scribe, tuoq; perennius are
Exige, & aterni monumentum inscribe triumphi.

Strophe III.

Non lutum solers aliter Prometheus
Artus secutus artubus refinxit,
At mox triste ruens immemorabilis
Constiterat sine mente moles.
Ille sed ignes
Emensus vaga sydera
Subducit audax athera domo,
Et flammis simulacra beatis,
Animat muta, ac suscitat intra
Animata corda mentem.
Quidni ara vitam nunc trahant?
Face at sonantis eloqui: laborem
Aemulare sic Promethei, ari auspicare Tomce spiritum.

Anti-

Antistrophe III.

Nempè, quæ muto tibi vulnerando
Aera hic figurat artifex labore
Tu docto meliùs lumine vocibus
Dulciloquis animabis æra.
Quid simulacra
VRBANO dare? quid iuuant
Hæc muta doctum munera Principem?
Hic facundæ munera linguæ
Amat, & viuax quæ labor animat:
Noua nam reposcit ætas
Opus erudita viuidum,
Petitq; Roma comparem Triumphum,
Eloquentiæ Gemella, nobilisq; vindex otij.

Epodon III.

Cernis? namq; operosior
Mellis syderei nunc APIS obstetrix
Rorata cælo iam dona fundit,
Deq; rore, deq; flore
Iam laboris auream
Instillat ori dulce mercedem tuo.
Honoribus vocata nam VALERIIS
Diues beatis floribus iam sua mella liquat,
Ingenijq; aluearia complet,
Vt cibus Heroum duram tibi recreet artem.

VA-

VALENTINI PASCHALII
VTINENSIS
ad Eundem.

E*RVIS in lucem patriæ monumenta, malignis,*
E tenebris, per te ſydera clara micant.
Inclyta gens per te ſic Tomce Valeria geſtis,
Sic tua ſic credas Illyris eſt hilaris.

ANTONIVS RANTIVS
IADRENSIS
E Societate IESV
ad Eundem.

D*ISCE nouum pugnæ genus, vt qui vincitur hoſtis*
Vincat, & occidens occidat, actus agat.
Quos dedit in cryptas, & in abdita limina terræ
Roma vetus, tulit hos in iuga, Roma recens.
Martyr vt occubuit, gens aurea ſanguine ſurgit,
Victaq; ſub pedibus gens inimica fremit.
Scilicet eſt fidei vis tanta, quod ardua regum
Vi procul, atque armis colla ſubacta premit.
Dum furit horrendum Iouius per ouilia Chriſti
Sæuit & in propriam ſæua Leæna domum.
Ecce Ducem gregis hinc Caium, cognataq; cæli
Germina, cognatum ſub pede habere Iouem.
Illyrica his tantis ſe tellus iactat alumnis,
Magnanimorum Heroum Illyris vſque parens.
Quæ tu dum tenebris in luminis elicis oras,
Illyricæ patriæ Diua trophæa locas.

Antistrophe III.

Nempè, quæ muto tibi vulnerando
Aera hic figurat artifex labore
Tu docto meliùs lumine vocibus
Dulciloquis animabis æra.
Quid simulacra
VRBANO dare? quid iuuant
Hæc muta doctum munera Principem?
Hic facundæ munera linguæ
Amat, & viuax quæ labor animat:
Noua nam reposcit ætas
Opus erudita viuidum,
Petitq; Roma comparem Triumphum,
Eloquentiæ Gemella, nobilisq; vindex otij.

Epodon III.

Cernis? namq; operosior
Mellis syderei nunc APIS obstetrix
Rorata cælo iam dona fundit,
Deq; rore, deq; flore
Iam laboris auream
Instillat ori dulce mercedem tuo.
Honoribus vocata nam VALERIIS
Diues beatis floribus iam sua mella liquat,
Ingenijq; aluearia complet,
Vt cibus Heroum duram tibi recreet artem.

VA-

VALENTINI PASCHALII
VTINENSIS
ad Eundem.

ERVIS in lucem patriæ monumenta, malignis,
E tenebris, per te ſydera clara micant.
Inclyta gens per te ſic Tomce Valeria geſtis,
Sic tua ſic credas Illyris eſt hilaris.

ANTONIVS RANTIVS
IADRENSIS
E Societate IESV
ad Eundem.

DISCE nouum pugnæ genus, vt qui vincitur hoſtis
Vincat, & occidens occidat, actus agat.
Quos dedit in cryptas, & in abdita limina terræ
Roma vetus, tulit hos in iuga, Roma recens.
Martyr vt occubuit, gens aurea ſanguine ſurgit,
Victaq; ſub pedibus gens inimica fremit.
Scilicet eſt fidei vis tanta, quod ardua regum
Vi procul, atque armis colla ſubacta præmit.
Dum furit horrendum Iouius per ouilia Chriſti
Sæuit & in propriam ſæua Leæna domum.
Ecce Ducem gregis hinc Caium, cognataq; cæli
Germina, cognatum ſub pede habere Iouem.
Illyrica his tantis ſe tellus iactat alumnis,
Magnanimorum Heroum Illyris vſque parens.
Quæ tu dum tenebris in luminis elicis oras,
Illyricæ patriæ Diua trophæa locas.

NICO-

NICOLAI CALISSIENSIS

MONACHI S. BASILII

Illuſtriſsimi, & Reuerendiſsimi Metropolitæ Ruthenorum vnitorum Romæ Procuratoris ad Eundem.

GLORIA Sampſonis longum celebratur in æuum,
Dulcia quod ſtrato mella Leone tulit.
Dignius at multo nunquam tua fama ſeneſcet,
Magno. Marnaui nate bono patriæ.
Strata leuas, etenim Heroum dum geſta tuorum
Grata poloq; ſolo, mella ſacrata refers.



VNICA

VNICA GENTIS
AVRELIAE VALERIAE
SALONITANAE DALMATICAE
NOBILITAS.

AVTHORE IOANNE TOMCO MARNAVITIO EDITA.



VLTA ſunt, quæ generis Illyrici præſtantem in armis, & toga virtutem omni æuo commendant, ſed nihil mihi videtur admirabilius, auguſtiſſima gente Valeria; quippè quæ non in luce modò atque oculis hominum, magna Romano quondam florens Imperio, generis humani principatum in terris obtinuit; ſed plurima etiam apud Deum authoritate pollens, & gratia, qua Vaticanæ maieſtatis inſignibus infulata, qua purpurata martyrij laureis, qua Virginitatis aureolis candidata, heroicos honores Chriſtianæ virtutis apud mortales adepta, pulcherrimè ſtetit in Concilio Immortalium:

Quod enim ab ipſis Eccleſiæ naſcentis incunabulis nulli hactenus familiæ contigiſſe legimus, vna in domo, vno, eodemq; tempore (pręter Diocletianum Imperatorem, mox & Imperij inaudito exemplo contemptorem; licèt à Chriſtiana pietate alienum) Serena Diocletiani vxor Auguſtà Chriſtianæ virtutis Heroina ſanctiſſima, eiusq; filia Arthemia in ſumma tenacitate pudoris, & auaritia gloriæ, prodiga ſanguinis, tum fratres

Imperatoris quatuor, Claudius & Maximus, militiæ terrenæ cælestisq; Duces egregij, Gabinius Principis Ecclesiæ Presbyter, & Scriptor eruditissimus post natam ipsi Susannam, quæ sanguine in causa virginitatis effuso, Augustalis thalami faces extinxit; Denique Caius Vaticani Sacerdotij Princeps, rerum humanarum, ac diuinarum arbiter, floruerunt. Accessit & Præpedigna Claudij coniux, filijq; eius Alexander, & Cuthia, qui vita pro Christo defuncti, ipso iuuenili flore, de morte gloriosissimè triumpharunt. In hanc ego domum dum mentis oculos intendo, videre mihi videor cæleste quoddam signum multis syderibus insignitum, siuè potiùs Galaxiam ipsam, non exiguis illis, sed primariæ magnitudinis stellis fulgentem. Quod etiam mihi gratulor, in causa esse, vt Christianam familiæ huius nobilitatem litteris mandaturus, tenuitatem in dicendo meam, præstantia argumenti compensem, neque indignum luminibus Oratorijs, vt mortalem lucem inferam in clarissimos soles. Vnum igitur id curabo posthac, vt antelata eloquentiæ, pietate, in tanta obliuione temporum, summa fide, ex antiquissimis historiarum monumentis, eruam veritatem.

Gens Valeria inter Dalmatas, antiquissimis præstat imaginibus, in ea namq; antè Diocletianum, Aurelium Valerium Probũ Dalmatio sanguine, teste Sexto Aurelio Victore, Sirmij progenitum, Romanorum Principum fortissimum, Romanis æquè ac externis maximis quibusq; Ducibus, non conferendum solum, sed Flauij Vopisci testimonio, praeferendum, terrarum Orbis, incredibilis celeritatis victorijs Tyrannorum grauissimo iugo

subtra-

ſubtractus, priſcæq; libertati, ac ſplendori reſtitutus, perpetuò admiratur. Fluxam illius gloriam immortalitatis incremento longè adauxit inuictiſsimus Chriſti Athleta Hadrianus eius filius, quippè qui Romana ſceptra Chriſtianæ humilitati ducens inferiora, ſtudio illius maluit proprij cruoris paludamento, quam paternis inſigniri purpureis ornamẽtis; eius triũphalis dies, ſeptimo Kalendarũ Septembris Eccleſiaſticis tabulis habetur inſignis, dignitas nulli Auguſtali familiæ, ad hanc vſque diem familiaris. cui ſi Nicephori teſtimonio, in Chronico [1] Domitium, ſeù Dometium Probi fratrem, huiusq; filium, ac paternarũ virtutum hæredẽ Probum, & Metrophanem ſanctiſsimos Byzantinæ ſedis Paſtores ſubinde ſuffectos addiderimus, Quadrigam Aminadab palma perennitatis eximiam, in Valeria indole facilè erit agnoſcere; verùm enim verò cum certa minùs habeatur affinitas, qua Probi Principis domus, cum Caij Diocletianiq; familia iungeretur, illa prætermiſſa, huiuſce ſeriem euoluemus.

Vt itaq; Marcus Marulus vir Salonitanæ ſtirpis, antè centum annos, pietate æquè ac eruditione præſtantiſſimus, ex notis ſepulchralium epygrammatum, inter Vrbis Salonitanæ rudera extantium, ab eomet excerptorum refert; Auus Caij Pontificis, Diocletianiq; Principis, fuit Caius Aurelius Valerius: cuius epygramma ſequentibus ſe notis excepiſſe ex ipſa poſthuma marmorea nota teſtatur.

C. AVRELIO VALERIO SALONITANO
VALERIVS ET CAIVS
PATRI OPT. PP.

³ Caio Aurelio Valerio, itaq; fuerunt filij Valerius & Caius; ille Valerium Aurelium Dioclem, qui ad Imperium assumptus Diocletianus indè dictus est, Romanum Principem; posterior Caium, Gabinium, Claudium, Maximumq; progenuit. quicquid habeant quidam ex antiquioribus Scriptoribus, vel Valeriæ domui fortassè minus æqui, vel huius generis minus periti. grauissimò enim Maruli testimonio, nobilissimæ antiquitati innixo, accedit authoritas Anastasij Bibliothecarij, Luitprandi Ticinen, Albonis Floriacen. & aliorum, qui Caij Pontificis patrem Caium agnoscunt, sicuti & Diocletiani Valerium. Eos Romam ³ Salonis migrasse verosimile est, imperante Claudio, qui primus ex Dalmatis rem Romanam administrauit, ibiq; Diocletianum, prout ea tempora virtute Illyricanorum Ducum, militumq; sub Romanis Aquilis memoranda poscebant, militaribus studijs, sicuti & Claudium & Maximum patrueles, Caium verò ac Gabinium, vnius Christi Domini stipendia suscepisse. Valerios Romæ liberaliter vitam duxisse, argumento sunt domus satis amplæ, tum Caij, tum fratris, eius Gabinij, in sexta regione, apud Vicum Mamuri, vel Manurij ante Salustij forum sitæ, prout in actis S. Susannæ habetur. quibus quamuis in Ecclesias ab eodem Caio Pontifice conuersis, Christianoq; ritu Deo sacratis, Diocletianus tamen, vel potiùs, qui eius nomine Collega Maximianus amplissimas terrarum Orbis Thermas occupatis omnibus circumquaq; tàm publicis, quàm priuatis ædibus, extruxit, Christiano nomini alioqui satis infensus, ad illas vsque insanis extructionibus deductis, ita pepercit, vt publico ædificio non tantùm incluse, nobilissimi

tituli,

tituli, & stationis Ecclesiasticę: Ad duas domos, nomen multis sęculis tenuerint; vt ex antiquis Vrbanis Ecclesiasticis tabulis est videre: hinc etiam conijcio Diocletiani priuatas ędes eodem loci extitisse, cuius nominis ad consequentes ætates illustrandi gratia, de eo optimè meritus Maximianus (haud absimile vero est) in admirandum Therm arũ opus cum æternitate inter mortales certaturũ, maxima parte Viminalis collis occupata, eisdem commutauit; vt vbi Diocletiani priuati hominis stetissent penetralia, Principis Thermæ viserentur appellarenturque. accedit huic coniecturæ probabilitas, qua vt ex actis S. Marcelli Papę habemus, idem Diocletianus Cyriaco Diacono ob Arthemiam filiam malo Dęmone liberatam, vt videbimus, propè easdem Thermas constitutam domum donauit. Incidit Imperium Claudij in annum Virginei partus, ex supputatione Baroniana, sexagesimum nonum supra ducentesimum. qua tempestate, vt ex actis S. Laurentij facilè intelligitur, status rerum Christianarum, longa pace inualuerat, præsidente Romano throno Dionysio, viro virtutis Apostolicæ, egregiam operam publicæ rei Christianæ, nauante Iustino Presbytero. Quòd si Caius per hæc tempora, Romam cum Gabinio fratre se contulit, proculdubio potuit interesse spectator agonis fortissimi, illustrissimę Christi Martyris Cyrillæ filiæ Decij Imperatoris, quæ immortali gloria gentis Illyricæ, * primitiæ generis Augustalis, multò feliciori fine pro Christi sempiterno regno, quam Decius pater, cum Decio filio, pro caduco Romano Imperio, sese deuouit; cuius admiranda virtute, Caium cum fratre, vel maiores animos in fidei constantia sumpsisse credibile est, si tamen mili-

tiæ Christi nomen iam dederant, cum incertum sit, quo tempore & quo loci Christum induerint, vel fortè eiuſcemodi exemplo voluiſſe adſcribi; eosq; diſciplina Dionyſij Pontificis, Iuſtiniq; induſtria in primis profeciſſe. Dionyſio poſt ferè duodecimũ Sacerdotij ſanguine fuſo, depoſiti annum, ſufficitur Felix nomine non minùs quam re, huius enim primi ex Romanis Pontificibus primatum, & in Orbe Chriſtiano ſummam authoritatem, Imperatores ethnici licet, Romano ſcripto agnouerũt. [1] Aurelianus etenim, qui poſt Claudium, & Quintillum fratres Dalmatas, Romanis ſceptris eſt admotus, Illyrici generis itidem, Princeps ab omnibus iuſti tenaciſſimus laudatus, cum Paulus Epiſcopus Antiochenus ob hæreſim depoſitus, domum Eccleſiæ adeptam reſtituere renueret, re ad Imperatorem delata, Euſebio teſte, ei adiudicari cenſuit Imperator, cui Chriſtiani Italiæ, & Vrbis Romæ Epiſcopi tribuendam præſcriberent: Triennio in Pontificatu exacto, Felix Eutychiano locũ, ſacro ſuo cruore nobilem reliquit. quo Præſule Aurelianus poſt Tacitum & Florianum fratres nec annuos Principes, Probum Valeriæ gentis ſydus eximium, ſeptuageſimo nono ſecũdi Chriſtiani ſæculi anno ſucceſſorẽ accepit. eius fratrem Domitiũ Domitijq; filios Probũ, ac Metrophanem, cum agnatis ſuis Caio Gabinioq; æmulatione Chriſtianæ pietatis certaſſe, non eſt abſurdum credere, & ſub Imperio probatiſſimi Principis, ad cuius perfectam probitatem, æternitatis lauacrum tantummodò defuiſſe extra dubium eſt, quo fulgore illi Orientalem plagam, ij Occidentalem, & omnes vna vniuerſum terrarum Orbem eſſent paulò poſt illuſtraturi, ſeriò agi-

taſſe,

tasse, virtus eorum eximia credere persuadet. Sublato Probo & succedête Caro Narbonêsi Dalmata, vndecimo Illyricani generis Principe, nec multò post Eutychiano prædecessorum vestigijs appetente cælum, Apostolici solij maiestas, Caium excepit, instauratæ fælicitatis anno octuagesimo quarto supra ducentesimum. Dalmatici Principis Imperium summo Dalmatici viri Sacerdotio à Deo illustratum fuisse, ex eo sanior pietas existimat, quòd æquitati non minus quàm pietati carissimus Principes quibus potuit Christianos beneficijs est prosequutus. extat inter cætera beneficientiæ eius erga eosdem argumenta, singulare illud, quod Thessalonicensi Ecclesiæ huiusmodi indulsit rescripto.

IMP. CARVS PRÆSIDORO PRÆF. PRÆT.

SAcrosancta Thessalonicensis Ecclesia apertè sciat, propriæ tantummodo capitationis modum, beneficiò nostri numinis subleuandum, nec extraneorum grauamine tributorum, rempublicam Ecclesiastici nominis abusione ledendam. ita ille. quem longiori vita dignum commodo Reipublicæ Christianæ, non integer annus Regem agnouit. quo dum Persas debellat è viuis abeunte, [6] Numerianus filius, præstantissimus suorum temporum Orator & Poëta, vt aurea illi statua à Senatu dicata apud Vopiscum testatur, Regni initijs vix gustatis, Apri soceri perfidia extinguitur; succedentibus Carino fratre, quem Galliarum moderatorem, Persas petens pater reliquerat, hæreditario iure, prouincialiumq; fauore arripente Imperium; & Valerio Diocletiano Numerianę

necis vltore, ab Exercitu Imperatore acclamato, Senatu mox approbante: vt quod nulla temporum varietas vnquam vidit, terrarum Orbis ſacram politicamq; maieſtatem, vnius anni ſpatio, intra eiuſdem gentis familiam coiuiſſe ſit admiratus. & ſanè præclarè cum re Chriſtiana actum fuiſſet, ſummum ſacrorum Præſidem Auguſti patruelem ſortiri, niſi beneficientiſsima Cari memoria Chriſtianos ad partem Carini amplectendas impuliſſet. hoc enim in cauſa fuit, vt Diocletianus alioquin, & magni animi, & æquitatis amantiſsimus Princeps contra eiuſdem religionis profeſſores, & tanquam contra gentem legibus Romanis ab eius exordio proſcriptam, & ab optimo quoq; Romanorum Principum miris cladibus exagitatam, quòd etiã peſsimo Tyrannorum adhęrentes ſibi legitimo Principi arma intuliſſent, aliquando exarſerit; vt perſpicuum eſſe poteſt ex actis S. Sebaſtiani, quibus conſtat Carinum multos habuiſſe in amicitia, quos confeſsionis Chriſtianæ titulus decorabat. pernicioſum ſæpè generis humani infortunium, ſuſpitione diffidentiæ Regum iras excitaſſe; quos enim ſemel huiuſmodi procella, vel leuiter afflauerit, nulla temporum diuturnitate, nullo officiorum obſequio ferociores dominantum animos mitigare, irreparabili innocentiæ damno, iugis ætatum omnium docet experientia. Namq; Diocletianus vbi poſt multa prælia cum Carino commiſſa, ad 7 Murgum deniq; Pannoniæ ipſo Illyrici meditulio eundem profligatum extinxit, & ſi propoſitis edictis, & lege lata, maiorum exemplo in Chriſtianos inſurrexit nequaquam, quominus tamen gentilium Sacerdotum inſectatione Chriſtiani non vexarentur, minimè inhibuit, ſed

iiſdem

ijſdem furentibus aliquando etiam annuit, aures nimium credulas eorum delationibus accommodando, vt idem Sebaſtianus dum ad martyrij palmam properaret prætereunti Principi obiecit. etenim [illegible] toto eo tempore quo bellum inter Principes triennale fermè perdurauit, fideles ſumma tranquillitate Cari benignitate aucta ſunt potiti; Caio rem ſummo conatu promouente, viro magnæ prudentiæ pietatiſq; eximiæ. vt acta nuper laudata teſtantur. vt non mirari nequeam eos, qui Numeriano cladem martyribus fœcundiſſimam adſcribere ſunt auſi.

Poſt Murgenſem itaq; victoriam Diocletianus æmulo ſublato, anno Imperij tertio, Chriſtiani ſecundi ſeculi ſexto ſuprà octuageſimum, Maximianum Marcum Valeriũ prænominatum, quem author Panegyrici eidem Maximino dicti, ſicuti & aliquorum martyrum acta, fratrem appellant, adoptione conſortioq; Regni magis, quam affinitate ſãguinis, tertiumdecimum ex Illyricis, in partem Imperij adſciuit, hoſtibusq; Chriſtiani nominis conniuendo, multa ſæuius in Chriſtianos actitata, vel Reipublicæ quaſſatæ in priorem ſtatum reſtituendæ intentus ignorauit, vel à Chriſtianis Carino addictis offenſus diſſimulauit omninò. quæ ſæuities ipſam religionis arcem Romanam Eccleſiam in primis inuaſit, vbi Gentilium immanitas eo improbitatis proceſſit, vt ad auertendos vitæ neceſſitate fideles à pietate, nemini quicquam, vel vendere, vel emere liceret, niſi priùs proſtantibus in foro rerum venalium Deorum ſtatuis, emptores thura incendiſſent; ad inſulas quoque, vicos, & aquas, complures aſſiſtebant ſatellites, qui neque moliendi neque aquas hau-

riendi alicui facultatem permittebant, qui priùs Idolis non libasset. hisce calamitatibus adactus Caius Pontifex, consilio suorum adhibito, cum ineuitabilis mali periculum euidentissimum esse cognosceret, in eam venit sententiam, vt acta S. Sebastiani habent quorum verbis quantum licuerit, vt plurimum vsuri sumus, nimirùm vt Chromatius, qui Prætoris illustrisimo clarus officio, nuper Christo se adiunxerat, omnes illos qui recenter religioni sese addixerant, ne nouellæ plantæ ob vitæ necessaria, mortis æternæ subirent pericula, tanquam imbecilliores eius victu alendos in propriam domum reciperet, verùm enim verò cum summi in Vrbe viri ad Christianos accesio difficulter celari posse videretur, Caij consilio obtinuit ille à Principibus facultatem scripto expressam sacri rescripti nomine, cum aliter Vrbano Prætori minimè abesse liceret ab Vrbe, ad littora Campaniæ in quibus amplisima prædia posidebat, secedendi medelæ gratia, quo Christianos omnes euitandi periculi causa, qui vellent secum abduxit. ex quibus cum inter præstantisimos tunc temporis, Policarpum nempè, & Sebastianum exoriretur contentio, quisnam Chromatiani secessus, & fidelium cum illo in Campaniam abeuntiū comes esset iturus, vel in Vrbe penès Pontificem martyrij assequendi cupidine remansurus, palmam æternitatis vtroq; ambiente, dirimitur pia contentio authoritate Caij ita illos alloquentis: Dum ambo pasionis coronam expetitis, populum Domini solatio destitutis, vndè mihi videtur, vt tu Policarpe, vt Sacerdotij rectum tramitem tenes, & scientiæ Dei repletus es donis proficiscaris simul ad confortandas recentes credentium mentes, & animos

du-

dubios confirmandos. quibus auditis promptissimum sese ad imperata exequenda pius Sacerdos exhibuit. vt verò dies Dominicus affuit Caius domum Chromatij adijt; ibiq; prò tempestatis illius consuetudine, publicis nimirùm nondum Ecclesijs exædificatis, oblato incruento sacrificio, Christianis adstantibus, eiuscemodi sermonem habuit: Dominus noster Iesus Christus præscius fragilitatis humanæ duos credentium in se gradus constituit, confessionis scilicèt, & sanguinis pro fide effusionis, quæ martyrium appellatur, vt qui martyrij pondus se non posse ferre videretur, confessionis gratiam teneat, & concedentes laudem bellaturis Christi militibus, & pro eius nomine pugnaturis, illorum solicitè curam gerant. pergant itaq; qui volunt vnà cum filijs nostris Chromatio & Tiburtio, & mecum in hac Vrbe qui voluerint remaneant, non enim nos terrarum spatia diuidunt, quos Christi gratia nectit, neque absentiam vestram sentiunt oculi nostri, quia interioris hominis vos intuemur aspectu. hæc & similia dicente Caio Pontifice, exclamauit Tiburtius (filius hic erat Chromatij nuper cum patre factus Christianus) voce magna dicens: Obsecro te Pater, & Episcoporum Episcope, ne me patiaris terga persequentibus dare, mihi enim valdè iocundum est & optabile, pro Deo verò, millies si possim occidi, tantùm vt illius vitę dignitatem apprehẽdam quam nullus mihi successor eripiat, & cui nulla tempora finem imponant. tunc Sanctus Caius congaudens fidei eius, lachrymas fundebat, orabatq; vt omnes, qui cum eo remansissent certaminis victores redirent, triumphum martyrij assequuturi. remanserunt itaq; cum Caio Pontifice Marcellinus &

Marcus, & pater eorum vir Clarissimus Tranquillinus, itemq; Beatus Sebastianus, & iuuenis corpore pulcherrimus, sed pulchrior mente Sanctus Tiburtius, tum quoq; Nicostratus, à publicarum tabularum custodia Protoscriniarius appellatus, cum fratre suo Castorio, & coniuge Zoe, & Claudius etiam cum fratre suo Victorino, & filio Symphoriano, qui fuerat ab hydropisis morbo liberatus. hi soli reliquis omnibus cum Chromatio proficiscẽtibus, in Vrbe cum Caio Pontifice remanserunt, qui Marcum & Marcellinum Diaconij honore sanctificauit, Tranquillinum verò patrem eorum dixit Presbyterum, & Beatum Sebastianum, qui ad multorum profectum, sub specie militiæ latebat, sacro honore priscis temporibus, inter Ecclesiasticos eximio, Ecclesiæ defensorem constituit, cæteros verò Subdiaconos pronunciauit. At cum præ solertia ministrorum impietatis omnia sagacissimè indagantium, Christianis nullus locus tutus inueniretur, ad latebras fuit confugiendum; morabantur itaq; omnes apud Castulum quemdam, qui ex officio quodam Palatinali Zetarius Palatij dicebatur, hic cum altissimum eius locum vnà cum familia Christũ amplexa incoleret, cumq; nulla susceptæ nouæ religionis suspicione laboraret; ea sedes ei recipiendis Christianis aptissima visa est. hic ergò cum Caio Papa morabantur omnes, & die noctuq; gemitibus, fletibus, ieiunijs, & orationibus occupati, orabant Dominum, vt digni haberentur tolerantia confessionis eius, & in numerum Sanctorũ Martyrum admitti mererentur. ascendebant autem ad eos occultè religiosi viri & fęminæ, quippè qui à Sanctis diuersas sanitatis gratias impetrarent. nam & cęcorum

oculi

oculi illuminabantur eorum precibus, & salus reddebatur ægrotis; & de obsessis corporibus, Dæmones pellebantur.

Interea dum hæc ab eis agerentur, cum Tiburtius recitata Oratione Dominica, Apostolicoq; Symbolo super quodam; qui lapsus ab alto ædium caput membraque quassauerat, sanitati eũ restituisset, Christianisq; disciplinis imbuisset, eum cum eiusdẽ parentibus, perduxit ad Caiũ Pontificem dicens: Venerabilis Papa, ac Diuinæ Legis Antistes, ecce quos per me hodiè Christus lucratus est, in quibus fides mea velut arbuscula nouella, primum prorupit in fructum: tunc Sanctus Caius eos baptizauit gratias Deo referentes. hactenus ex actis S. Sebastiani, quæ paucis immutatis, eodem sensu, verbisq; quantò magis potui, ijsdem expressi. Cum ergo ethnici Pontifices Caij studio viderent res Christianorum in dies augeri, nec contra eum tanquam Diocletiano arctissima affinitate iunctum quicquam mouere auderent, Sebastiano quem post Caium Christianorum potissimum præsidium esse cognoscebant, euertendo, perdendoq; vires omnes intendunt, vt ergo ipsum Principibus acceptissimum, & ad primos militiæ gradus iampridem promotum, redderent odiosum, calumniam struunt, eundem in Imperatorum & Imperij perniciem res nouas moliri; quod Diocletiano mirùm licèt, credibile tamen visum ex eo, quòd aliquos ex Christianis Carinianam factionem sequentes hostes fuerat expertus. hoc enim ex ipsius Sebastiani mox morituri verbis ad Imperatores facilè est colligere, dum credulitatem, non verò crudelitatem prout quidam publicis tabulis asserunt, Principum accusando, ita eos allo-

quitur:

quitur: Vos quidem peruersis Pontificum vestrorum persuasionibus imbuti, prauam de Christianis opinionem fouetis, quasi illi cladem ingentem huic vestro Imperio inferant, & scelere suo tranquillum Reipublicæ statum perturbent. ita eiusdem acta. hinc mirùm minimè Caium Pontificem carnificinę eorum martyrum, qui eodem tempore cum Sebastiano sunt coronati, fuisse subtractum, ac diutiùs indè in oculis Principũ superuixisse. Diocletianus enim Christianos eiusmodi suspicione carentes, non solùm liberè agere permisit, sed ad maximos honores euexit, Prouinciarum præfecturas commisit, Ecclesias extrui ampliariq; summa benignitate permisit, vt ex Eusebio, qui omnium aliorum Scriptorum Diocletiano fuit infensissimus, Libri 8. Capite 1. Histor. est videre. eius verba hæc sunt: Quantum splendoris doctrinæ veræ pietatis in Deum rerum omnium gubernatorem mundo per Christum patefacta, apud omnes homines Græcos simul & Barbaros antè istam persecutionis tempestatem, quæ nostra ingruit memoria, obtinuerit; & quam liberè inter eos prædicata fuerit, maius quiddam est, quàm quod nos nostra in dicendo tenuitate, satis pro dignitate explicare possimus. cuius rei argumento esse poterit singularis Imperatorum humanitas, qua nostros tam benignè exceperunt; quibus quidem tùm Prouinciarum præfecturas, gratuito impertierunt, tùm propter incredibilem beneuolentiam, quam ergà nostrã religionis professionem habebant, omni afflictatione & molestia, quam pro Dei amore homines Christiani solent perpeti, eos penitùs liberarunt.

Quid de his attinet dicere, qui sunt in Imperatorum

Palatio

Palatio magnam dignitatem adepti, deq; ipsis Imperatoribus, qui domesticis suis pro sermone diuino propagando, & pia vitæ ratione degenda, ipsi velut inspectantes, copiam fecerunt, liberè & ingenuè dicendi; atque adeò suis ipsorum vxoribus, liberis & seruis, quasi palàm de mira fidei libertate, & gloriandi, exultandiq; potestatem permiserunt? quos certè chariores habuerunt, & magis eximiè dilectos, quàm reliquam seruorum turbam: vt Dorotheum illum, qui præter cęteros ergà illos, & beneuolentiam summam ostendit, & fidem non minorem; ac propterea præ alijs, qui magistratus & præfecturas in Imperio gerebant, amplissimum honoris gradum adeptus est: vt Gorgonium qui non dissimili fama, & celebritate ennituit; vt alios non paucos, qui propter Dei verbum sunt parem cum illis dignitatem consequuti. Aut quid memorem qua humanitate cultu, & beneuolentia, non illa quidem vulgari, & contemnenda prouintiarum Pręfecti & Rectores, Ecclesiarum Præsides & Episcopos, vt manifesto cernere licebat, complexati fuerint? aut quomodo quisquam conuentus illos infinita hominum turba frequentatos, multitudines in singulis Ciuitatibus coactas, illustres hominum in templis concursus, poterit Oratione explicare? vndè cum in antiquis illis ædificijs non satis loci haberent, ampliores Ecclesias in vniuersis Vrbibus fundamentis earum ad maiorem laxitatem dilatatis, erexerunt. & quamdiù diuina & cęlestis Dei manus populum suum, vtpotè auxilium eius promerentem obtexit, suoq; muniuit præsidio, tamdiù neque vlla hominum inuidia, quominùs istæ res vnà cum tempore in dies maiores progressiones facerent, incremento & ma-

gni-

gnitudine augeſcerent, omninò potuit obſiſtere; neque veſanus ille & perditus Dæmon vel ſuo ipſius conatu eos in inuidiam rapere, vel hominum inſidijs, vlla ex parte impedire. hæc Euſebius teſtis (vt aiunt) oculatus. quibus conuenientia, ſed multò maiora ad declarãdam Diocletiani erga Christianos aliquando manſuetudinem, & beneuolentiam exequitur Nicephorus Calixtus Capite Secũdo Libri Septimi Eccleſiaſticæ ſuæ Hiſtoriæ. Huius humanitatis Diocletianæ in Chriſtianos, crediderim poſt mortem Sebaſtiani authorem Caium ipſum extitiſſe, qui conſobrini animum alioqui omnibus maximo Principe dotibus dignis ſpectatiſsimum, libertate quam ſibi arctiſſimæ affinitatis vinculũ permittebat, facilè potuit æquũ Chriſtianis effeciſſe, purgatis ijſce calumnijs quibus impia gẽtiliciæ ſuperſtitionis Antiſtitum officia puritatem ſacroſanctæ legis turbare perdereq; conabantur; Serenam quoque Auguſtam marito ſciente nec contradicente, profeſsionis Chriſtiana fęminam Caij diligentiæ ac pietatis ſociam apud Diocletianum ſuæ religionis hominibus profuiſſe credibile eſt; etenim ab obitu Sebaſtiani, qui contigit anno Domini 288. vſque ad vltimum annũ Sedis vitæq; Caij Pontificis, integro octo annorum ſpatio, exceptis Valeriæ gentis confeſſoribus, vix mirùm dictu, tres martyres, eosq; ſimul & vna die Tharſi in Cilicia ſub Maximo Pręſide cruciatos, apud Annales Eccleſiaſticos eſt inuenire. minimè tamen dubitarim maiorẽ partem eorũ, quę ab Euſebio & Nicephoro referũtur à Diocletiano Chriſtianis indulta, etiã aucta poſt Caij mortem, ab eo tẽpore præſertim, quo vt dicturi ſumus, Arthemia eius filia, per Cyriacum Diaconũ dæmoninis vexatione

libe-

liberata, mentis & corporis ſanitatem eſt aſſequuta. Hac temporum tranquillitate benè vſus Caius, inclytos Eccleſiaſticorum ſacrorum graduum ordines, ſumma pietate ab Eccleſia receptos, & perpetuò ab eo tempore ſeruatos, diſcreuit atque digeſſit; vt videlicet quemadmodum ait Anaſtaſius, ſi quis Epiſcopus fieri mereretur, eſſet prius Oſtiarius, ſucceſſiuè Lector, Exorciſta, Acolitus, Subdiaconus, Diaconus, Presbyter, & exindè Epiſcopus. cuius diſpoſitionis idem Caius in ea Epiſtola, quam vltimo ſui Præſulatus anno, de Diuinitate, & Humanitate Chriſti, ad [8] Felicem dedit Epiſcopum, extrema parte meminit. ſic itaq; rebus in Vrbe componendis intentus, in qua numerum Chriſtianorum magnis acceſſionibus adaugeri cernebat, dum ipſe grauioribus rebus addictus, eorum vt res poſcebat neceſſitatibus proſpicere minimè valeret, Diaconis ad quos ab ipſo Eccleſiæ exordio, pauperum pertinebat procuratio, regiones Vrbis diuiſit, Anaſtaſio teſte. Ab Vrbanis porrò rebus ad remotiores Orbis partes pietati propagandæ, proprio ſupremi Paſtoris munere, animum adijciens, Biſontinis Maximũ teſte Iacobo Chiſleto deſtinat Epiſcopum. in Sardiniam Inſulam Prothum Presbyterum & Ianuarium Diaconũ delegauit, vt Eccleſiaſticæ tabulæ teſtantur. eius partes intereà pro virili Gabinius frater indefeſſa ſubleuabat diligentia; qui defuncta coniuge ex qua Suſannam filiam ſuſceperat, ſacris initiatus, Presbyterali dignitate in Vrbe ſatis erat conſpicuus, cum enim egregia eruditione præſtaret, vt habent acta Suſannæ, tanquam verus Eccleſiæ Senator, multa contra Gentilium impietatem ſcripſit, ac pro religione Chriſtiana præclaram defenſio-

nem publicauit, quam dolendum sanè ad posteritatis manus peruenire non potuisse; cum [9] Claudius & Maximus, quos acta S. Susannæ modo Fratres Caij & Gabinij, modo germanos & affines, tùm Caij tùm Diocletiani appellant, veritas Maruli notis, authoritateq; Martyrologij Bedæ, & aliorum antiquiorum testata, fratres Gabinij Caijq; prodit, in Comitatu Imperatorum gentiliciæ superstitioni addicti degerent; quos spectata simul militari virtute, & suorum in altum gloriæ prouehendorum studiosus Imperator Tribunos vtrumq; constituerat, Maximum præterea ad Magistratum Palatinalem, Comitis rei priuatæ, cuius fidei concredebantur ea, quæ tanquam ad priuatas Principis rationes pertinerent, munus fidissimis quibusq; committi solitum, euexerat. Interim Claudius Aureliæ Valeriæ stirpis propagandæ cupidus, quòd Diocletianum Principem mascula prole cerneret orbatum, Pontificem Caium perpetuò cęlibatui addictum, Gabinium post coniugis fatum, Sacerdotiò insignem, Maximum verò Palatinalibus militaribusq; studijs penitùs occupatum, posteritate virili destitutos, ducta Præpedigna coniuge, facilè ex sua gente Illyrica, præclaram prolem, Cuthiam & Alexandrum filios susceperat. Dum Valerij Pontificij in hunc modum sese habent; Imperator ex Serena Augusta, quam Illyricam fuisse, præter Principis ingenium omninò suis deditum, vel ex eo licet conijcere, quod nullus Scriptorum Romanorum vnquam illius meminerit, tabulis Ecclesiasticis exceptis, duas filias, Valeriam adhuc priuatus, & Arthemiam ad Regnum euectus, genuerat, nulla virili prole suscepta. hinc non minùs de posteritate, quam de bono successore

sibi collegæq; subrogando solicitus, anno sui Imperij nono, nonagesimo secundo suprà ducentesimum à Christo nato, ipsis Kalendis Martijs, Maximianum Galerium, sicuti Maximianus Herculius collega, Constantiū Chlorum [10] Illyricos; priores vxores repudiare coactos, ex quibus hic iam Constantinum, ille verò Seuerum & Maximinum, habuerant, iuncta Valeria Diocletiani filia Galerio, Theodora verò Herculij priuigna Constantio, generos adscitos, filios, & in Imperio successores adoptarunt, cum prius vniuersum terrarum Orbem pacassent; vt ex Panegyrico Maximiano dicto ijs verbis habetur.

O Kalendæ Martiæ, sicuti olim annorum voluentium, ita nunc æternorum auspices Imperatorum: quāta enim inuictissimi Principes, & vobis est, & Reipublicæ propagatio, Orbis vestri participando tutelam. cuius licet omni hoste perdomito certa securitas, nimius tamen in diuersa discursus, vel reuisenda poscebat; Partho quidem vltrà Tygrim redacto, Dacia restituta, porrectis vsque ad Danubij caput Germaniæ Rhetiæq; limitibus, destinata Bataviæ Britanniæq; vindicta, gubernacula maiora quærebat, aucta atque augenda Respublica. & qui Romanę potentiæ, terminos virtute protulerant, Imperium filio pietate debebant. hæc ille. verùm enimuero sicuti Constātius numerosam sex filiorum prolem ex Theodora tulit, ita Galerius sterilem penitus Valeriam, tertio coniugij anno, morte sublatam ammisit: cuius amore Diocletianus pater, vt defunctæ memoriam consecraret æternitati, Pannoniæ partem, teste Ammiano, eius nomine institui, cognominariq; voluit; illam nimirùm partem, quæ hodiè Varasdiensi Comitatu, Drauū inter &

Sauum fluuios, nobilis Slauonici Regni portio, diues gleba fortiq; colono censetur; sed prætereà eiusdem Valeriæ nomine nuncupasse Ciuitatem sitam ad ripam Danubij ex Ennodio tradit Baronius; quam fortè eo loci fuisse coniectari licet, vbi nunc primaria Vngarici Regni Ciuitas Strigoniensis extare videtur, cum superioribus annis, quædam Epygrammata Valeriæ nomine insignita, inibi ferantur effossa. Cum itaque morte Valerię Diocletianus videret resolutum affinitatis vinculum cum Galerio, omnem diligentiam adhibuit, vt eundem iterato vinculo, sibi Reipublicæq; vinctum retineret. Susannam igitur Gabinij consobrini filiam, virtutibus omnibus à patre instructam, in sua cognatione vnicam, cum Arthemia eius filia admodum tenerę esset ætatis, fędere nuptiarum ipsi iungere statuit; at dum terreno Regi illam copulare satagit, aliud omninò agens, immortali Cęli Regi æterno fędere sponsam coniunxit.

Extant acta Susannæ quatuor exemplaribus aliquantulum inter se discrepantibus consignata, quorum authoritate, sed ijs facem præferentibus quæ à Laurentio Surio publicam in lucem data sunt, verbis ipsis plerumq; retentis, nuptialem Virginis inuictæ purpuram, & immortalitatis sertum contexemus. Diocletianus igitur iuncturus Susannam Galerio, consobrinum suum Claudium, virginis patruum accersit. eique dat negotium Gabinij adeundi, suæq; voluntatis eidem circà filiam eius aperiendæ. quòd cum ipse Gabinio significasset, isque videretur quodammodo tale connubium abnuere, eo quòd filiam suam tanquam Christianam, Imperatorio thalamo, nequaquam parem censeret; Claudius è contra condignum

esse

esse contenderet, vt ad nutum Diocletiani patrui; Virgo Regem sortiretur maritum, iustum esse inquiens, vt à firma radice nata virgulta non separentur; Gabinius acceptis inducijs mentis puellæ explorandæ prætextu, eandem ad Caium Pontificem adduxit, quem cum certiorem fecisset omnium, quibus eum Claudius nomine Imperatoris adierat, Susannæ coram eodem voluntatem Principis aperuit, non absque lachrymis; cuius verba Virgo miro mentis ardore rationumq; grauitate ita reiecit, vt detestatis nuptijs cum Dæmonum cultore expetitis, nihil antiquius esse sibi addiderit, quam deuotam Christianæ castitati vitam, & pudicitiam, Christo immortali sponso illibatam seruare; multisq; & Euangelicis, & Apostoli prolatis authoritatibus, ita disertè propositum suum, magno mortis contemptu, eis explicauit, vt æquè à patre, ac patruo ad ijsdem vestigijs insistẽdum, quibus iam constiterat, nullo metu Principum minitantium, ingenti commendatione constantissimi illius animi confirmaretur. Triduo post redijt Claudius ad explorandum quid cum Susanna Gabinius egisset, eũdemq; cum Caio inuentum, more patrio amplexatus est, & osculatus, qui cum Susannam aduocassent, vt ab ipsamet mentis eius deliberationem intelligeret, eandem quoque amplecti & osculari voluit, quem illa reijciens: non inquit ob aliud recuso osculum, quam quòd os tuum sacrificijs Idolorum pollutum est. ad quam ille: ecquid verò faciam vt hac immũditia purgetur os meum? cui Virgo cum baptismi & pœnitentiæ proposuisset remedium, à Caio Pontifice de rebus Christianæ religionis expetiuit erudiri, & sacro fonte lauari; Susanna hoc idem ad Caij

pedes

Marcus, & pater eorum vir Clarissimus Tranquillinus, itemq; Beatus Sebastianus, & iuuenis corpore pulcherrimus, sed pulchrior mente Sanctus Tiburtius, tum quoq; Nicostratus, à publicarum tabularum custodia Protoscriniarius appellatus, cum fratre suo Castorio, & coniuge Zoe, & Claudius etiam cum fratre suo Victorino, & filio Symphoriano, qui fuerat ab hydropisis morbo liberatus. hi soli reliquis omnibus cum Chromatio proficiscẽtibus, in Vrbe cum Caio Pontifice remanserunt, qui Marcum & Marcellinum Diaconij honore sanctificauit, Tranquillinum verò patrem eorum dixit Presbyterum, & Beatum Sebastianum, qui ad multorum profectum, sub specie militiæ latebat, sacro honore priscis temporibus, inter Ecclesiasticos eximio, Ecclesiæ defensorem constituit, cæteros verò Subdiaconos pronunciauit. At cum præ solertia ministrorum impietatis omnia sagacissimè indagantium, Christianis nullus locus tutus inueniretur, ad latebras fuit confugiendum; morabantur itaq; omnes apud Castulum quemdam, qui ex officio quodam Palatinali Zetarius Palatij dicebatur, hic cum altissimum eius locum vnà cum familia Christũ amplexa incoleret, cumq; nulla susceptæ nouæ religionis suspicione laboraret, ea sedes ei recipiendis Christianis aptissima visa est. hic ergò cum Caio Papa morabantur omnes, & die noctuq; gemitibus, fletibus, ieiunijs, & orationibus occupati, orabant Dominum, vt digni haberentur tolerantia confessionis eius, & in numerum Sanctorũ Martyrum admitti mererentur. ascendebant autem ad eos occultè religiosi viri & fęminæ, quippè qui à Sanctis diuersas sanitatis gratias impetrarent. nam & cęcorum

oculi

oculi illuminabantur eorum precibus, & salus reddebatur ægrotis; & de obsessis corporibus, Dæmones pellebantur.

Interea dum hæc ab eis agerentur, cum Tiburtius recitata Oratione Dominica, Apostolicoq; Symbolo super quodam; qui lapsus ab alto ædium caput membraque quassauerat, sanitati eũ restituisset, Christianisq; disciplinis imbuisset, eum cum eiusdẽ parentibus, perduxit ad Caiũ Pontificem dicens: Venerabilis Papa, ac Diuinæ Legis Antistes, ecce quos per me hodiè Christus lucratus est, in quibus fides mea velut arbuscula nouella, primum prorupit in fructum: tunc Sanctus Caius eos baptizauit gratias Deo referentes. hactenus ex actis S. Sebastiani, quæ paucis immutatis, eodem sensu, verbisq; quantò magis potui, iisdem expressi. Cum ergo ethnici Pontifices Caij studio viderent res Christianorum in dies augeri, nec contra eum tanquam Diocletiano arctissima affinitate iunctum quicquam mouere auderent, Sebastiano quem post Caium Christianorum potissimum præsidium esse cognoscebant, euertendo, perdendoq; vires omnes intendunt, vt ergo ipsum Principibus acceptissimum, & ad primos militiæ gradus iampridem promotum, redderent odiosum, calumniam struunt, eundem in Imperatorum & Imperij perniciem res nouas moliri; quod Diocletiano mirùm licèt, credibile tamen visum ex eo, quòd aliquos ex Christianis Carinianam factionem sequentes hostes fuerat expertus. hoc enim ex ipsius Sebastiani mox morituri verbis ad Imperatores facilè est colligere, dum credulitatem, non verò crudelitatem prout quidam publicis tabulis afferunt, Principum accusando, ita eos alloquitur:

quitur: Vos quidem peruersis Pontificum vestrorum persuasionibus imbuti, prauam de Christianis opinionem fouetis, quasi illi cladem ingentem huic vestro Imperio inferant, & scelere suo tranquillum Reipublicæ statum perturbent, ita eiusdem acta, hinc mirùm minimè Caium Pontificem carnificinę eorum martyrum, qui eodem tempore cum Sebastiano sunt coronati, fuisse subtractum, ac diutiùs indè in oculis Principũ superuixisse. Diocletianus enim Christianos eiusmodi suspicione carentes, non solùm liberè agere permisit, sed ad maximos honores euexit, Prouinciarum præfecturas commisit, Ecclesias extrui ampliariq; summa benignitate permisit, vt ex Eusebio, qui omnium aliorum Scriptorum Diocletiano fuit infensissimus, Libri 8. Capite 1. Histor. est videre. eius verba hæc sunt: Quantum splendoris doctrina veræ pietatis in Deum rerum omnium gubernatorem mundo per Christum patefacta, apud omnes homines Græcos simul & Barbaros antè istam persecutionis tempestatem, quæ nostra ingruit memoria, obtinuerit; & quam liberè inter eos prædicata fuerit, maius quiddam est, quàm quod nos nostra in dicendo tenuitate, satis pro dignitate explicare possimus. cuius rei argumento esse poterit singularis Imperatorum humanitas, qua nostros tam benignè exceperunt; quibus quidem tùm Prouinciarum præfecturas, gratuito impertierunt, tùm propter incredibilem beneuolentiam, quam ergà nostrã religionis professionem habebant, omni afflictatione & molestia, quam pro Dei amore homines Christiani solent perpeti, eos penitùs liberarunt.

Quid de his attinet dicere, qui sunt in Imperatorum

Palatio

Palatio magnam dignitatem adepti, deq; ipsis Imperatoribus, qui domesticis suis pro sermone diuino propagando, & pia vitæ ratione degenda, ipsi velut inspectantes, copiam fecerunt, liberè & ingenuè dicendi; atque adeò suis ipsorum vxoribus, liberis & seruis, quasi palàm de mira fidei libertate, & gloriandi, exultandiq; potestatem permiserunt? quos certè chariores habuerunt, & magis eximiè dilectos, quam reliquam seruorum turbam: vt Dorothęum illum, qui præter cęteros ergà illos, & beneuolentiam summam ostendit, & fidem non minorem; ac propterea præ alijs, qui magistratus & præfecturas in Imperio gerebant, amplissimum honoris gradum adeptus est: vt Gorgonium qui non dissimili fama, & celebritate ennituit; vt alios non paucos, qui propter Dei verbum sunt parem cum illis dignitatem consequuti. Aut quid memorem qua humanitate cultu, & beneuolentia, non illa quidem vulgari, & contemnenda prouintiarum Prę fecti & Rectores, Ecclesiarum Præsides & Episcopos, vt manifesto cernere licebat, complexati fuerint? aut quomodo quisquam conuentus illos infinita hominum turba frequentatos, multitudines in singulis Ciuitatibus coactas, illustres hominum in templis concursus, poterit Oratione explicare? vndè cum in antiquis illis ædificijs non satis loci haberent, ampliores Ecclesias in vniuersis Vrbibus fundamentis earum ad maiorem laxitatem dilatatis, erexerunt. & quamdiù diuina & cęlestis Dei manus populum suum, vtpotè auxilium eius promerentem obtexit, suoq; muniuit præsidio, tamdiù neque vlla hominum inuidia, quominùs istæ res vnà cum tempore in dies maiores progressiones facerent, incremento & magni-

gnitudine augeſcerent, omninò potuit obſiſtere; neque veſanus ille & perditus Dæmon vel ſuo ipſius conatu eos in inuidiam rapere, vel hominum inſidijs, vlla ex parte impedire. hæc Euſebius teſtis (vt aiunt) oculatus: quibus conuenientia, ſed multò maiora ad declarãdam Diocletiani erga Chriſtianos aliquando manſuetudinem, & beneuolentiam exequitur Nicephorus Calixtus Capite Secũdo Libri Septimi Eccleſiaſticæ ſuæ Hiſtoriæ. Huius humanitatis Diocletianæ in Chriſtianos, crediderim poſt mortem Sebaſtiani authorem Caium ipſum extitiſſe, qui conſobrini animum alioquì omnibus maximo Principe dotibus dignis ſpectatiſsimum, libertate quam ſibi arctiſſimæ affinitatis vinculũ permittebat, facilè potuit æquũ Chriſtianis effeciſſe, purgatis ijſce calumnijs quibus impia gẽtiliciæ ſuperſtitionis Antiſtitum officia puritatem ſacroſanctæ legis turbare perdereq; conabantur; Serenam quoque Auguſtam marito ſciente nec contradicente, profeſsionis Chriſtiana fęminam Caij diligentiæ ac pietatis ſociam apud Diocletianum ſuæ religionis hominibus profuiſſe credibile eſt. etenim ab obitu Sebaſtiani, qui contigit anno Domini 288. vſque ad vltimum annũ Sedis vitæq; Caij Pontificis, integro octo annorum ſpatio, exceptis Valeriæ gentis confeſſoribus, vix mirùm dictu, tres martyres, eosq; ſimul & vna die Tharſi in Cilicia ſub Maximo Pręſide cruciatos, apud Annales Eccleſiaſticos eſt inuenire. minimè tamen dubitarim maiorẽ partem eorũ, quę ab Euſebio & Nicephoro referũtur à Diocletiano Chriſtianis indulta, etiã aucta poſt Caij mortem, ab eo tẽpore præſertim, quo vt dicturi ſumus, Arthemia eius filia, per Cyriacum Diaconũ dæmoninis vexatione

libe-

liberata, mentis & corporis sanitatem est assequuta. Hac temporum tranquillitate benè vsus Caius, inclytos Ecclesiasticorum sacrorum graduum ordines, summa pietate ab Ecclesia receptos, & perpetuò ab eo tempore seruatos, discreuit atque digessit; vt videlicet quemadmodum ait Anastasius, si quis Episcopus fieri mereretur, esset prius Ostiarius, successiuè Lector, Exorcista, Acolitus, Subdiaconus, Diaconus, Presbyter, & exindè Episcopus. cuius dispositionis idem Caius in ea Epistola quam vltimo sui Præsulatus anno, de Diuinitate, & Humanitate Christi, ad [a] Felicem dedit Episcopum, extrema parte meminit. sic itaq; rebus in Vrbe componendis intentus, in qua numerum Christianorum magnis accessionibus adaugeri cernebat, dum ipse grauioribus rebus addictus, eorum vt res poscebat necessitatibus prospicere minimè valeret, Diaconis ad quos ab ipso Ecclesiæ exordio, pauperum pertinebat procuratio, regiones Vrbis diuisit, Anastasio teste. Ab Vrbanis porrò rebus ad remotiores Orbis partes pietati propagandæ, proprio supremi Pastoris munere, animum adijciens, Bisontinis Maximũ teste Iacobo Chisleto destinat Episcopum. in Sardiniam Insulam Prothum Presbyterum & Ianuarium Diaconũ delegauit, vt Ecclesiasticæ tabulæ testantur. eius partes intereà pro virili Gabinius frater indefessa subleuabat diligentia; qui defuncta coniuge ex qua Susannam filiam susceperat, sacris initiatus, Presbyterali dignitate in Vrbe satis erat conspicuus, cum enim egregia eruditione præstaret, vt habent acta Susannæ, tanquam verus Ecclesiæ Senator, multa contra Gentilium impietatem scripsit, ac pro religione Christiana præclaram defensio-

nem publicauit, quam dolendum sanè ad posteritatis manus peruenire non potuisse; cum [9] Claudius & Maximus, quos acta S. Susannæ modo Fratres Caij & Gabinij; modo germanos & affines, tùm Caij tùm Diocletiani appellant, veritas Maruli notis, authoritateq; Martyrologij Bedæ, & aliorum antiquiorum testata, fratres Gabinij Caijq; prodit, in Comitatu Imperatorum gentiliciæ superstitioni addicti degerent; quos spectata simul militari virtute, & suorum in altum gloriæ prouehendorum studiosus Imperator Tribunos vtrumq; constituerat, Maximum præterea ad Magistratum Palatinalem, Comitis rei priuatæ, cuius fidei concredebantur ea, quæ tanquam ad priuatas Principis rationes pertinerent, munus fidissimis quibusq; committi solitum, euexerat. Interim Claudius Aureliæ Valeriæ stirpis propagandæ cupidus, quòd Diocletianum Principem mascula prole cerneret orbatum, Pontificem Caium perpetuò cęlibatui addictum, Gabinium post coniugis fatum, Sacerdotiò insignem, Maximum verò Palatinalibus militaribusq; studijs penitùs occupatum, posteritate virili destitutos, ducta Præpedigna coniuge, facilè ex sua gente Illyrica, præclaram prolem, Cuthiam & Alexandrum filios susceperat. Dum Valerij Pontificij in hunc modum sese haberit; Imperator ex Serena Augusta, quam Illyricam fuisse, præter Principis ingenium omninò suis deditum, vel ex eo licet conijcere, quod nullus Scriptorum Romanorum vnquam illius meminerit, tabulis Ecclesiasticis exceptis, duas filias, Valeriam adhuc priuatus, & Arthemiam ad Regnum euectus, genuerat, nulla virili prole suscepta. hinc non minùs de posteritate, quam de bono successore

sibi

ſibi collegæq; ſubrogando ſolicitus, anno ſui Imperij nono, nonageſimo ſecundo ſuprà ducenteſimum à Chriſto nato, ipſis Kalendis Martijs, Maximianum Galerium, ſicuti Maximianus Herculius collega, Conſtantiũ Chlorum [10] Illyricos, priores vxores repudiare coactos, ex quibus hic iam Conſtantinum, ille verò Seuerum & Maximinum, habuerant, iuncta Valeria Diocletiani filia Galerio, Theodora verò Herculij priuigna Conſtantio, generos adſcitos, filios, & in Imperio ſucceſſores adoptarunt, cum prius vniuerſum terrarum Orbem pacaſſent; vt ex Panegyrico Maximiano dicto ijs verbis habetur.

O Kalenda Martiæ, ſicuti olim annorum voluentium, ita nunc æternorum auſpices Imperatorum: quãta enim inuictiſſimi Principes, & vobis eſt, & Reipublicæ propagatio, Orbis veſtri participando tutelam. cuius licet omni hoſte perdomito certa ſecuritas, nimius tamen in diuerſa diſcurſus, vel reuiſenda poſcebat; Partho quidem vltrà Tygrim redacto, Dacia reſtituta, porrectis vſque ad Danubij caput Germaniæ Rhetiæq; limitibus, deſtinata Batauiæ Britanniæq; vindicta, gubernacula maiora quærebat, aucta atque augenda Reſpublica. & qui Romanę potentiæ, terminos virtute protulerant, Imperium filio pietate debebant. hæc ille. verùm enimuero ſicuti Conſtãtius numeroſam ſex filiorum prolem ex Theodora tulit, ita Galerius ſterilem penitus Valeriam, tertio coniugij anno, morte ſublatam ammiſit: cuius amore Diocletianus pater, vt defunctæ memoriam conſecraret æternitati, Pannoniæ partem, teſte Ammiano, eius nomine inſtitui, cognominariq; voluit; illam nimirùm partem, quæ hodiè Varaſdienſi Comitatu, Drauũ inter &

Sauum fluuios, nobilis Slauonici Regni portio, diues gleba fortiq; colono censetur; sed prætereà eiusdem Valeriæ nomine nuncupasse Ciuitatem sitam ad ripam Danubij ex Ennodio tradit Baronius; quam fortè eo loci fuisse coniectari licet, vbi nunc primaria Vngarici Regni Ciuitas Strigoniensis extare videtur, cum superioribus annis, quædam Epygrammata Valeriæ nomine insignita, inibi ferantur effossa. Cum itaque morte Valerię Diocletianus videret resolutum affinitatis vinculum cum Galerio, omnem diligentiam adhibuit, vt eundem iterato vinculo, sibi Reipublicæq; vinctum retineret. Susannam igitur Gabinij consobrini filiam, virtutibus omnibus à patre instructam, in sua cognatione vnicam, cum Arthemia eius filia admodum tenerę esset ætatis, fędere nuptiarum ipsi iungere statuit; at dum terreno Regi illam copulare satagit, aliud omninò agens, immortali Cęli Regi æterno fędere sponsam coniunxit.

Extant acta Susannæ quatuor exemplaribus aliquantulum inter se discrepantibus consignata, quorum authoritate, sed ijs facem præferentibus quæ à Laurentio Surio publicam in lucem data sunt, verbis ipsis plerumq; retentis, nuptialem Virginis inuictæ purpuram, & immortalitatis sertum contexemus. Diocletianus igitur iuncturus Susannam Galerio, consobrinum suum Claudium, virginis patruum accersit. eique dat negotium Gabinij adeundi, suæq; voluntatis eidem circà filiam eius aperiendæ. quòd cum ipse Gabinio significasset, isque videretur quodammodo tale connubium abnuere, eo quòd filiam suam tanquam Christianam, Imperatorio thalamo, nequaquam parem censeret; Claudius è contra condignum

cile

esse contenderet, vt ad nutum Diocletiani patrui; Virgo Regem sortiretur maritum, iustum esse inquiens, vt à firma radice nata virgulta non separentur; Gabinius acceptis inducijs mentis puellæ explorandæ prætextu, eandem ad Caium Pontificem adduxit, quem cum certiorem fecisset omnium, quibus eum Claudius nomine Imperatoris adierat, Susannæ coram eodem voluntatem Principis aperuit, non absque lachrymis; cuius verba Virgo miro mentis ardore rationumq; grauitate ita reiecit, vt detestatis nuptijs cum Dæmonum cultore expetitis, nihil antiquius esse sibi addiderit, quam deuotam Christianæ castitati vitam, & pudicitiam, Christo immortali sponso illibatam seruare; multisq; & Euangelicis, & Apostoli prolatis authoritatibus, ita disertè propositum suum, magno mortis contemptu, eis explicauit, vt æquè à patre, ac patruo ad ijsdem vestigijs insistẽdum, quibus iam constiterat, nullo metu Principum minitantium, ingenti commendatione constantissimi illius animi confirmaretur. Triduo post redijt Claudius ad explorandum quid cum Susanna Gabinius egisset, eũdemq; cum Caio inuentum, more patrio amplexatus est, & osculatus, qui cum Susannam aduocassent, vt ab ipsamet mentis eius deliberationem intelligeret, eandem quoque amplecti & osculari voluit, quem illa reijciens: non inquit ob aliud recuso osculum, quam quòd os tuum sacrificijs Idolorum pollutum est. ad quam ille: ecquid verò faciam vt hac immũditia purgetur os meum? cui Virgo cum baptismi & pœnitentiæ proposuisset remedium, à Caio Pontifice de rebus Christianæ religionis expetiuit erudiri, & sacro fonte lauari; Susanna hoc idem ad Caij

pedes

pedes prouoluta summis precibus exposcente: hinc Pontifex postquam disertis verbis illum instruxisset, capacemq; veræ pietatis effecisset, lactis & mellis sacra medicina, pro eorum temporum consuetudine refectum inter Cathecumenosq; adscitum, domum suam remisit; qui statim vxori suæ Præpedignæ cuncta quæ sibi contigerant, & quemadmodum precibus puellæ neptis suæ ad gratiam Domini accessisset, enarrauit. ijs auditis Præpedigna obstupuit, & vt ea quæ diù antè de fide Christiana capessenda cogitauerat, sed terrore viri Christianos insequentis destiterat, repente ad Caium Pontificem se contulit, ad cuius pedes cum se submisisset, eosdemq; tenens, & exosculans, cum lachrymis salutem suam, & filiorum à Pontifice flagitabat ad cuius voces Susanna è cubiculo prodiens, peramanter illam est amplexata. nocte sequenti adest Claudius cum duobus filijs Alexandro & Cuthia, domumq; Gabinij ingreditur, proiectusq; ad pedes ipsius petijt maximis precibus, sibi filijsq; baptismi gratiam impertiri; quos Gabinius præmissis quæ in huiusmodi actu ritu Ecclesiastico fieri consueuerunt, Cathecumenos cum matre effecit, mox vbi de fide Christiana sufficienter instruxit, sacro baptismate Claudium expiauit; Caius verò tanquam Pontifex sacro Chrismate illiniuit, vxoremq; eius Præpedignam ac filios, sacri fontis lauacro abluit, quos Gabinius suscepit è Baptismo. post hæc idem Pontifex in eadem domo pro illis sacrificium obtulit, & consecrauit corpus & sanguinem Agni immaculati, & lac & mel & fontem, participauitq; cum omnibus mysterium Dei, iuxta illorum temporum consuetudinem. Claudius statim vt Christianus est effectus,

facul-

facultates suas pauperibus erogare cœpit, ijs præsertim, qui vel secretioribus locis occultabantur, vel pro fide Christiana vinculis adstricti tenebantur; quos non solùm pecunijs distributis, sed vestimentis exhibitis consouebat; abijciensq; se ad eorum pedes, supplex ab eis petebat; Deum quem Christianos persequendo offendisset, sibi propitium efficerent; nocturnis horis custodias publicas adeundo. post mensem & dies sexdecim ab eo tempore quo Rex connubium cum Susanna stabiliendum illi demandarat, transactos; Diocletianus cum illum nulla responsa referentem, perquirere fecisset, teneriq; morbo accepisset; fratrem eius Maximum, rei priuatæ Comitem ad illum inuisendum, & ab eodem, quid de connubio commisso egisset, inquirendum destinat. is vbi venit ad Claudium, eum cilicio indutum, & orantem inuenit; quo spectaculo perteritus, causam tantæ nouitatis ab eo inquirit, cui ille, se eorum peccatorum, quos Christianos insequendo contraxerat, pœnitentiam eo statu & corporis habitu agere respondit. sed cum is quid de negotio à Principe super neptis Susannæ nuptijs commisso egisset interrogaret: ego ait Claudius neptem meam adiui, nomineq; Imperatoris ad amplectendas propositas nuptias, hortatus sum, verùm cum eam non minori prudentia quam corporis pulchritudine conspicuam, Deo æterno Virginem dicatam inuenissem, ipsius opera Christianam religionem suscepi, & vt scias Deum omnipotentem omnium salutem expetere, nocte insequenti domum fratris nostri, & patris Gabinij iter intendamus, ibi æternitatis splendorem hausturi. ad quam cum statuto tempore sese contulissent, Gabinius vbi eos

pro

pro foribus adſtare accepit, occurrens eis, in domum introduxit; mox Chriſtiano more preces eiuſmodi effudit: Oremus: illisq; humo proſtratis ait: Domine Deus, qui diſperſa congregas,& congregata reſpicis,reſpice in opera manuum tuarum, & illumina omnes in te credentes, quia tu es lumen verùm, in ſęcula ſęculorum. Amen. reſponderunt omnes; ſurgentesq; de terra mutuo ſe complectuntur & oſculantur. Claudius verò cum gaudio oſculabatur pedes Gabinij; quod cernens Maximus admirabatur, orabatq; vt Suſanna in ipſius conſpectum veniret, quæ per Gabinium aduocata, & illa more Chriſtiano, à patre tanquam à Sacerdote benedici depoſcente,ſic ille orauit: Pax nobis donetur à Domino Ieſu Chriſto, qui viuit & regnat cum Deo patre omnipotente, in ſęcula ſęculorum, reſpondentibus ijs qui aderant. Amen. intereà Maximus admiratus in Suſanna conſtantiam humilitatis & verecundiæ, apprehenſas manus eius oſculabatur, illa renuente. ijs Caio nunciatis qui in proximâ ſuæ domus Eccleſia morabatur, anxius ne ſibi palma martyrij præriperetur,eo quòd Maximum minùs amico animo,tãquam ethnicum ad Gabinij domum acceſſiſſe ſuſpicaretur,eo ſtatim conuolauit; quo adueniente, omnes qui erant intrà ædem Gabinij, venerabundi ſeſe in terram proſtrauere. quibus ille: In nomine Domini animo conſtantes eſtote, tùm precationem addidit. Oremus, Domine Deus Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui omnibus ad ſalutem & vitam æternam miſiſti Dominum noſtrum Ieſum Chriſtũ,vt nos è mundi tenebris erueres;da nobis ſeruis tuis conſtantiam fidei,quia tu regnas in ſęcula ſęculorum. reſponderunt omnes. Amen.

Caius indè sedens ad congregatos sedentes, Susanna sola stante, & orante sermonem habuit. quo ad finem perducto, admisso ad osculum pedum Maximo, plura cum eo de causa sui aduentus egit, Maximoq; de Susanna Galerio iungenda ex Imperatoris voto vrgenti, Pontifex Virginis institutum cum patefecisset, eiq; excellentiam Christianæ virtutis, salutisq; suæ pondus exposuisset vberius, simulq; ostendisset, quantas diuitias ipse cum fratre salutis æternæ desiderio deseruisset, eum ad capessendam Christi fidem, paterna affabilitate pellexit. verùm antequam salutari fonte eundem expiaret, necessarijs monitis satis instructum, indicto ei vt Cathecumeno, ieiunio, ad propriam domum remisit. sed scintilla diuini amoris breui eam cupiditatis flammam in Maximi corde excitauit, vt ne momento temporis sese potuerit continere, quin iterum ad Christi Sacerdotes Caium & Gabinium petendi baptismatis gratia properaret. quorum consilio eousque passus est sibi salutis portum occludi, donec omnia sua pauperibus erogaret. post quintum itaque diem maxima facultatum parte inter egentes distributa, magnis precibus & obtestationibus Caij pedibus aduolutus, calore fidei exęstuans, exoptatam baptismi gratiam impetrauit. ergo priùs à Pontifice de ijs omnibus quæ perquirere consueuerat à proxime abluendis, Christiana pietate interrogatus, mox à Gabinio alijs instructus, manu Caij lauacro cęlesti, & sacra vnctione, numero fideliũ est aggregàtus, eodem Pontifice sacrosancta mysteria libante. Ab eo die Valerij fratres simul hospitio iuncti, laudibus diuinis lætos dies transigebant, cum interea Maximus, vtpotè diuitijs ingentibus affluens, singulis

noctibus; amico cuidam nomine Thrasoni, iampridem à Caio ad Christi gregem traducto, reliquias suarum facultatum, indigentibus largiendas cõmunicaret; Thrasone rem summa cura pietateq; perficiente, quippè qui præter rerum ac litterarum peritiam, nulli fermè gentilium pro Christiano habitus, liberius iniunctum munus exequebatur, carceres quoscunque, custodiasq; quibus Christiani concludebantur inuisens.

Intereà dum Diocletianus post Claudium, fratrem quoq; eius Maximum pro eodem connubij negotio suffectum, viginti dierum spatio minimè adesse animaduerteret; Arsitius quidam qui in munere Comitis rei priuatæ, Maximo adiutor extiterat, Imperatorem adiens, defert Comitem idcircò à Palatio tamdiù abesse, nec vllum responsum de concredita re ad eundem referrè, quod tàm ipse, quàm Claudius frater cum vxore Præpedigna, filijsq; Alexandro & Cuthia, opera Caij atque Gabinij Christianam religionem profiterentur, bonis omnibus quæ possedissent in egenos effusis. quo nuntio, tanquam inexpectato penitùs Imperator consternatus, rem silentio texit. mox omnia Serenæ Augustæ vxori aperuit, dolens in primis, quod vterque frater commissi muneris officium exequi neglexissent. illa verò cum iampridem Christum coleret, nihilominùs grates agens Deo, respondit Imperatori: hoc tantùm consilij se posse subministrare, vt etiam ille diuinæ voluntati animum accommodaret. sed Imperator contempto coniugis consilio, vocat ad se Iulium quemdam, ferum & immanem hominem, rem cum illo communicat, iniuriam sibi illatam cõquestus, quod quibus, vt sibi carissimis, conciliandarum

nu-

nuptiarum adoptiui filij curam demandasset, ij contemptis eius præceptis, nil vnquam retulerint, sed insuper ausi sint ad Christianas partes transire. tunc Iulius non minùs Imperatoris irati animo gratificaturus, quam odium in Christianos effusurus, censuit omnes qui Principum mandata iniusta licet, nedùm iustitiæ & æquitatis plena, cuiusmodi fuissent illa, quæ ab eo fuerant iniuncta, contempsissent, omninò puniendos esse, nec eorum supplicium vllatenus vltrà differendum. iubet igitur Diocletianus vt Iulius mittat milites qui omnes comprehendant, solo Caio Pontifice excepto. exequitur ille iussa, comprehensisq; omnibus, Claudium cum vxore Præpedigna & filijs Alexandro Cuthiaq; itemq; Maximum in exilium iussit deportari, & flammis concrematos, cineres apud Ostia Tiberina in fluenta iactari, duodecimo die Kalendarum Martij, anno quinto suprà nonagesimum, post alterum Christianæ fęlicitatis sęculum; Susanna interim & Gabinio custodiæ mancipatis. Vbi verò quinque suprà quinquaginta dies ambo fuissent detenti, agit Diocletianus cum Serena Augusta, vt Susannam ad se perductam, eiusq; mente explorata, ad sua vota & ad nuptias cum Galerio ineundas flecteret; ductaq; itaque à militibus ad Palatium Susanna, eam ad eius pedes Augusta prostrata statim venerata est, eiuscemodi humilitatis officia Virgine rependente Reginæ, multis vltrò citròq; pietatis obsequijs inter easdem intercedentibus; dumque per multos dies degeret in Palatio Susanna penès Augustam, nullum temporis momentum, ab orationibus, & diuinis laudibus vacuum intermisit, summa Reginæ iucunditate lætitiaque. sed Dio-

cletianus moræ longioris impatiens, mittit ad Serenam familiarem quendam suum Curtium, efflagitans vt quibuscunque modis posset, Susannæ connubium Galerij persuaderet; verùm cum illa se nihil posse cum Deo deuota Virgine proficere iuxta suum votum respondisset, multo furore succensus Princeps, mandat Galerio, vt Susanna Palatinis ædibus extrusa, & in Gabinij patris domum reducta, vel vi illata, illius abuteretur pudicitia, sic denique dehonestatam ibi relinqueret, quod dum exequitur, digredienti Virgini, Augusta Diuinæ prouidentiæ tutelam est deprecata eandem, quæ priscæ quondam Susannæ innocentiam protexit & illustrauit. nocte consequenti Galerius Maximianus temeraturus virginis integritatem, iuxta Principis præceptum, irrumpit in cubiculum, in quo Susanna consuetis precibus intenta Deo vacabat; sed ecce inter splendidissimos lucis radios, cernit Angelum è cęlo lapsum, custodem eius capiti excubantem. quare ingenti timore perterritus, ne attingere quidem illam ausus derelinquendo, citato cursu, pedem illius domo efferens, ad Palatium fuga sese recepit, & quod sibi contigerat enarrauit Augusto; qui factum magicis præstigijs tribuens, aduocat Curtium, eumq; ad Gabinij domum transmittit, imperat Virginem occultè subijciat quęstioni, & in contumacem seu reluctantem anima iuertat; paret ille, adit domum, virginem aggreditur. veruntamen insperato incertoq; timore perterritus, nec ibi diutiùs morari ausus, ab incepto desistens, rem defert ad Principem, qui successibus eiuscemodi turbatus, Reginam adit, cum qua collatis multis, de religione Christiana, deque Christi aduentu,

ina-

inania hæc omnia esse contendens; Christianamq; reli- gionem superstitionis arguens, cum nihilominùs validis Augustæ rationibus resistere non posset, non sine pudore deuictus est. quare mutato sermone, quippè qui disertissimis rationibus à Christiana Heroina allatis, omninò se cernebat imparem; cępit conqueri, quòd tanti illa non fuisset, vt Susannam ad nuptias cum Galerio contrahendas adigere valuisset. cui illa intrepida mente respondit: Elegit siquidem Susanna quod meliùs est, cuius rei idem filius tuus adoptiuus testis habetur, qui cęlesti fulgore eam ambiri, atque Angelica tutela custodiri non denegauit. itaque cum Imperator se frustrà tempus terere cum Augusta videret, omninòq; sibi persuaderet, Susannam magicis artibus dementatam à coniugio Galerij abhorrere, dat negotium Macedonio, ad eius domum se conferat, omnimodèq; vel vi illata, & tormentorum, ac ipsius mortis interminatione, à cultu Christiano abstractam, occultè tamen, nę mansuetudo inquit nostra laboret inuidia, ad sacrificia Dijs offerenda adigat. peragit mandata Principis Macedonius, Gabinij domum ingreditur, Virginem conuenit, admouet tripodem, iubet vt thura Iouis simulacro ibi exposito offerat; illa genibus flexis eiuscemodi preces effundit: Domine non videant oculi mei Dæmonum thecas, sed consolare ancillam tuam: mox Iouis statua ab omnium oculis euanuit. quod vbi vidit Macedonius, amore auri quo simulacrum constabat, incusat Virginē furti. at dum illa omni modestiā fatetur ingenuè iussu Dei per Angelum illud ablatum fuisse, ne eius intuitu oculi sui polluerentur; quidam è famulitio Macedonij, nuntiat Iouem

au-

aureum in Platea antè Palatium Salustij iacere, tùm Macedonius impia gentilium persuasione magicis artibus factum adscribens, itaque excandescens, manibus suis expoliatam Virginem, fustibus cędit, diuinas laudes ingeminantem; vrgenteq; magis àc magis illo vt Idolis sacrificaret, illaq; semper constantius, & alacrius renuente; & post diuturnam pugnam, re infecta, Macedonius Imperatori renunciat casum simulacri Iouis sublati, & confracti in Platea. Diocletianus igitur mandat, vt intrà eiusdem domus parietes illā gladio percuteret, cuius ictu ad cęlestis Sponsi euolauit amplexus, tertio Iduum mensis Augusti. atque ita laureæ virginitatis, æternam martyrij coronam adiecit. quod vbi comperit Augusta Serena gaudens, noctu ad ædes pretioso Virginis cruore sacratas aduenit, eiusq; sacrum corpus proprijs manibus curauit; sanguinemq; ibi effusum, suo velamine extersit. repositoq; in arca argētea intrà penetralia Palatij, magna pietate adseruando, diù noctuq; furtiuis precibus deinceps inibi perorauit. corpus porrò S. Susannæ Ipsa suis manibus, aromatibus delibutum, & linteis inuolutum, in crypta ad Sanctum Alexandrum, in arenario deposuit. Pontifex verò Caius ab eo die, quo Susanna percussa est, eandem domum, tanquam Deo verò sacram habuit; & pro eius commemoratione iugiter sacrificium obtulit incruentum.

Hactenùs ex actis S. Susannæ, verbis alicubi immutatis, sensu semper eodem, sex palmas Valerias æternum virētibus ramis in cęlum illatas expressimus, Claudium, Maximum, Præpedignam cum filijs Alexandro, & Cuthia, Susannamq; nobiles quidem illas, & præter Seri-

pro-

ptorum induſtriam, purpureo ſanguinis effuſi paludamento per quam illuſtres, ſed eiuſcemodi quæ quadrigæ mox ſubſequuturę, Valerij potiùs triumphi laureati præcurſores, & triumphalis apparatus ornamenta, quam ipſi triumphantes habendi videantur, cum poſthac ſpectandus ſit nobis ipſe triumphalis apex, ijs prærogatiuis, quibus præmiſſa cohors felix inceſſit inferior nequaquam, ſi Scriptorum non deſideraretur diligentia, ſed prætereà Regia, Sacerdotali, Pontificiaq; ſumma maieſtate ſublimis, & quod ad eximium ſolidæ eminentiæ columen accedit, Dux & author immortalis gloriæ, nobilitatisq; Valeriæ nunquam interituræ. ij ſunt Serena Auguſta, cum Arthemia filia, Caiusq; ac Gabinius, quorum poſtremus tanquam Auguſtalis quadrigæ frons, adeſt nobis intuendus. eo ordine quo reliquos tres maturatæ fęlicitatis auſpicijs anteceſſit. Hic cura Caij fratris natu maioris, piè æquè atque liberaliter educatus, adulta ætate duxit vxorem, huius vt reliquus vitæ curſus, ita nomen etiam ignoratur, haud tamen abſimile verò creditur, eam & Illyricanæ ſobolis, & Chriſtianæ fuiſſe religionis. hac occaſione facilè mihi perſuadeo Gabinium propria ſibi domo conſtituta, à Caio cęlibem ſacramq; vitam profitente, domeſticæ curæ cauſa ſeceſſiſſe. ex vxore ei Suſannam tantummodo natam exploratum habemus. cui diutiùs nequaquam matrē ſuperuixiſſe certum eſt, Gabinium enim vxorio vinculo ſolutum, circà ea tempora, quibus Caius ad Pontificatum eſt aſſumptus, Presbyterali ordine initiatum fuiſſe, Scriptores teſtantur. quo vitæ ſtatu arrepto egregiam operam Eccleſiæ Dei, fratriq; Pontifici, ſacer Senator nauauit. nam cum litteris & rara

eru-

eruditione excelleret, amœnitatem ingenij præclaris exercuit laboribus; defensionum in primis & Apologiarum libros pro Christiana religione, vt diximus euulgauit. fratris Pontificis indiuiduus comes, & laborum socius extitit assiduus. donec Claudij Maximiq; germanorum, necnon Susannæ filiæ causa, iussu Diocletiani pęnali carceris horrore circumdatus fuit. in quo vt Romanum habet Martyrologium, diù in custodia afflictus, pretiosa morte, cæli gaudia comparauit; vndecimo Kalendas Martij anniuersariæ ipsius memoriæ dicato. post mortem filiæ mense sexto, die octauo. Petrus de Natalibus à Caio fratre sepultum fuisse, est author. plura de tantò viro ex antiquitatis pelago expiscari non licuit; quamuis tamen silentibus Scriptoribus, auget meritò sublimis Ecclesiæ Senatoris pluribus alijs titulis præclarum nomen, magnumq; reddit; non minùs scriptis publicis tuendæ, quam proprio sanguine protegendæ religionis Christianæ studium & labor, quo primus ille ex Apostolico Romano Clero, zelo item & constantia Apostolica, bello nefariæ inanium deorum superstitioni indicto, stylum eruditionis, contra impietatem contorsit; quod olim sub Antonino Principe Iustinus Philosophus, & sub Hadriano Aristides Atheniensium Episcopus, teste Hieronymo fuerant ausi. moxq; imitatione Gabinij, Arnobius Afer, & Minutius Felix alijq; præstitere.

Progressu temporis tàm Gabinij, quàm Susannæ corpus in eorundem domum per Caium Pontificem statim à morte Virginis in Ecclesiam commutatam, translatum fuisse, constanti Scriptorum testimonio constat. ex qui-

bus

bus Pompeius Vgonius, qui antè aliquot annos, librum de ſacris Vrbanis Stationibus edidit, antequam ea Eccleſia pietate verè Senatoria Hieronymi Cardinalis Ruſticucij regij ſplendoris ornamento decoraretur, eiuſmodi inſcriptionem, in Apſide ipſius extitiſſe teſtatur.

OLIM PRESBYTERI GABINI FILIA FELIX
HIC SVSANNA IACET IN PACE PATRI SOCIATA

Hæc Eccleſia diuerſis pridem nominibus eſt appellata, nimirùm ad duas domos, item Sanctorum Gabinij & Suſannæ, & demùm S. Suſannæ ſolius. diuerſitatis cauſa fuit, eo quòd Gabinij domus proxima fuit domui Sancti Caij, quæ itidem vt ex actis retulimus, ab eodem Pontifice diuino cultui dicata fuit; hęc enim ibi leguntur: Caij Papæ domus Beati Gabinij domui iuncta eſt, atque ex illo tempore Chriſtianorum ſtatio deputata eſt in duabus domibus, vſque in hodiernum diem. ita ibi. vbi etiam deſcribitur ſitus loci duarũ domuum, iuxta vicum Mamuri ad Palatium Saluſtij, vt vidimus. nec ſolùm ſtatio ibidem decreta, ſed vtraque Eccleſia in titulum Vrbis erecta fuit. hinc in antiquiſſimis monumentis, quæ ſeruantur in Archiuo Sanctæ Mariæ Tranſtyberim, teſte Alphonſo Ciaccone, ſub Gelaſio Primo Papa, anno Domini nonageſimo quarto ſuprà quadrigenteſimum, ſubſcriptus inuenitur Aſellus Presbyter Cardinalis Sanctorum Gabinij & Suſannæ. Agatho item Presbyter tituli Sanctę Suſannæ, ſicuti & Benedictus Presbyter tituli Sancti Caij. Seuerus item Presbyter tituli Sancti Caij. Ab huius Eccleſiæ titulo ad Pontificatum fuiſſe euectum

Leonem Tertium Pontificem, constat ex Anastasio, eundemq; Pontificem, collabentem dictam restituisse Ecclesiam; quod multis post annis Sixtus Quartus, & demùm omnium prædecessorum munificentiam longè supergressus, Hieronymus Rusticucius, ætate nostra, effecerunt. at sicuti Gabinij domum post Leonem, Sixtumq; Pontifices, Rusticucij Cardinalis pietate magno Vrbis ornamento stare videmus, ita Apostolico zelo Vrbani Octaui, bono humani generis nato Caij sacros penates iniuria temporum excisos & omnibus ferè ignotos in antiquum splendorem cernimus assurgentes.

Ecclesiastico Senatori Gabinio, proximè accedit, Summi Sacerdotis Caij Pontificis maiestas, iam tertium suprà decimum annum in supremo Christianæ religionis Magistratu exigentis, & ad immarcescibilem æternitatis coronam adproperantis. hoc vnum tamen illius splendori nubeculam aliquam opponit, quòd res eius gestæ, sicuti & Gabinij fratris, maxima ex parte, Pontificatu præsertim tam diuturno, penuria Scriptorum desiderantur, nam præter ea quæ ex actis Sanctorum Sebastiani & Susannæ delibauimus, nulla alia tanti Pontificis tredecim annorum interuallo Sacerdotio functi, vberiora monimenta nobis subministrat antiquitas. Virtutis ipsius eminentiam quanti fecerit Diocletianus, vel ex eo licet intelligere, quòd extinctis Susannæ occasione, Claudio, Maximo, Præpedigna cum filijs, ipsaq; Susanna, ac eandem ob causam Gabinio tetris ergastulis mancipato, illum quamuis omnium aliorum caput, & earum rerũ quibus ira Principis in alios desæuierat, authorem, vetuerit nihilominùs, vt ex actis allegatis vidimus, dum

Ga-

Gabinium cum filia detinere in carcere mandaret, affici molestia . ex quo factum videtur, vt contrà Manichęorum sectam per ea tempora insurgentem, ipsomet fortasse Caio rem perurgente, idem Imperator ad Iulianum Africæ Proconsulem admodum seuerè contrà eosdem Manichęos rescriberet; quòd itidem viuo Caio nil publicis scriptis, more prædecessorum Principum in Christianos statuerit; etiamsi ne ea tranquillitate quã patruele Principe regnãnte frui potuisset, implacabilis, gentiliciæ vanæ superstitionis Pontificum insectatio, absente plerunq; Diocletiano, ac bellis Orientalibus implicito, perpetuum ei, gregiq; suo negotium facesserit, & ad ipsa cryptarúm latibula sæpè sępiùs compulerit. in quibus ille angustijs minimè sibi ouiliq; suæ curæ commissi bono defuit. ibi enim de summą Reipublicæ Christianæ, tanquam in regijs comitijs, cum Clero, alijsq; Episcopis egisse, indefessum Christi Principem, Anastasius alijq; testantur. indè enim nobilem illam ad Felicem Episcopum Epistolam, quam ad calcem opusculi subijciemus, de Christi humanitate, vt ex subscriptione consulatuum patet, extremo nempè sui Pontificatus anno perscripsit: in quibus Cryptis author libri de Romanis Pontificibus, Confessorem quieuisse fatetur. & licèt tàm hic author, quàm Anastasius, martyrio coronatum scribant, sicuti & Gabinium, non tamen id ita intelligendum censeo, vt violentæ manus cruciatu, vitam concluserit, verùm eo sensu, quo antiquitas pari honore martyrij decorare consueuerit eos, qui pro Christo sanguinem effudissent, ac illos qui aliquando pro confessione Christianæ legis affecti fuissent ærumnis atque mole-

ſtijs; ita Euſebium Vercellenſem, Felicem Nolanum, plurimosq; alios, alioquì quieto fine obdormiſcentes, titulo martyrum Eccleſiaſticæ tabulæ ad hanc vſque diem inſignes exhibent. præfuit Sanctus Pontifex Eccleſiæ, ex Baronij ſupputatione, annis tredecim, per menſes quatuor, & quinque dies inchoatos, decimoq; Kalendis Maij triumphans adijt cælum; quamuis aliqui ad quintum decimum annum illum Pontificatum protraxiſſe contendant. contigit finis ipſius vitæ, extrema periodo tertij Chriſtiani ſęculi, quadriennio citiùs. corpus Cęmeterio Calixti in omne ęuum innumeris Sanctorum Reliquiarum legionibus ſacroſanctum,illatum,per mille trecentos & vigintiquatuor annos, intrà illud conquieuit; donec præcipuis Vrbanis Italicisq; Eccleſijs, ſacrorum eius cinerum poſſeſſionem ſibi vindicantibus, Gregorio Quintodecimo Pontifice, iterum Romanis oculis ſeſe ſpectandum præbuit, omni contentionę dictarum Eccleſiarum prorſus extincta. rei ſeriem, vtpotè memoria digniſſimam perſtrinxiſſe; Valerijs triumphis ſplendorem erit addidiſſe.

Inceſſerat animum Gregorij, omni ex parte religionis propagandæ, diuiniq; cultus ac Sanctorum venerationis adaugendæ,ſi ea quę Triennali fermè Pontificatu peregerit, examinauerimus, omninò admiranda cupido, indè dum mentis ſuæ motus exequendos delectis ad id demandat miniſtris, ſacra Vrbis, & ſuburbana Cęmeteria, Sanctorumq; corpora, & reliquias in illis quieſcentia, Petro Paulo Cardinali Creſcentio, tituli Sanctorum Nerei & Achillei,Epiſcopo Vrbeuetano inuiſendi, recognoſcendiq; prouinciam demandat; hic in adeò pij, ſed mul-

tum

tum laboris, & assiduitatis requirentis operis cōsortium, Iacobum germanū suum, Abbatem Nursinū, virum prę ter vetustissimæ familiæ splendorem, morum integritatem, nulli inter sacros aulæ Romanæ proceres secundo, à teneris nimirùm annis, ab æui nostri illustrissimo sanctitatis sydere, Philippo Nerio ad omnem pietatem efformatum adsciſsit. haud absimili ratione ab ea, qua olim Angelicus Doctor, Seraphicum Bonauenturam, Sancti Francisci vitæ describendæ intentum cum inuenisset, sinendum sanctum pro sancto laborare pronuntiauit. Is ea qua erga eiuscemodi labores indefessa fertur auiditate, dum subterranearum crepidinum subeundarum peritis, alijsq; pijs adscitis socijs, Calixtiana sepulchra multis à retrò ſęculis inaccessa, per vliginosas caueas, æternis tenebris deuotas, foraminaq; vix cubitalia aliquando, decidentis arenæ subindè tumulis obstructa, plerūq; reptando serpēdoq; pia patiētia, labores vix alteri tolerabiles, amabiliores indies efficiente, perscrutatur, facula iugiter refecta præeunte, & maxima sacrorum reliquiarum conquisitione, inuisit; aliquando cum post totius fermè diei laborem, ex infimis illis spelæis, auræ captandæ gratia egressus, pensum Sacerdotalium precum in campo inter Basilicam S.Sebastiani, & Pauli, sacris sepulchris imminenti, constitisset persoluturus, animaduertissetq; exoluēdas occurrere vespertinas horas peruigilij diei Sancto Caio dicati; oculos ad cælum atollens: Vtinam inquit Sanctissime Pontifex cuius inueniendarum reliquiarum desiderio iampridem ardeo, hac die, qua cum vniuerso Orbe Christiano, triumphalem tuam recolo memoriam, meis benignus votis adesses, quam præclarè cum quali-

buſcunque laboribus, authoritate tui ſucceſſoris à me lubentiſsimè ſuſceptis, actum putarem. ijs ita non minùs animo quam voce conceptis, inſtãtibus tenebris domum ſeſe recipit; totamq; noctem, pio deſiderio Caij viſendi tranſegit. vix dies illuxerat, adeſt à Stefano Figino ex Benedicti familia Perilluſtri, & Baſilicæ Sancti Pauli primate, quem pridie Vrbem petens Creſcentius operarijs præfectum reliquerat, miſſus vir, cubantiq; adhuc Abbati nuntiat, pridiano veſpere, ſtatim ab eius digreſſu, ſepulchrum Caij Pontificis detectum. ille ſumptis properè veſtibus, alacritatis alis ad optatum locum accurrit: cernit in latere Cryptæ, repurgàtis arenis quibus obruebatur, ſepulchrum in arenaria tellure tempeſtatis illius more extructum, opere lateritio munitum, plumbiq; fuſilis ferrumine compactum, quo iuncturæ genere nullam ſepulchralem vrnam anteà viderat ſolidatam. media in lateritia tabula eiuſcemodi nota palmaribus litteris exciſa videbatur, ſubſequente ſigno rami palmæ & Chriſti nominis.

CAIO. PP. ☧

Venerabundus itaque genubus humi poſitis cum adſtantibus, precibus quas tempus, & loci pietas ſuggerebat, piè pro gratiarum actione effuſis Creſcentius, lateritia illa munimenta, ſumma diligentia reſerat; inuenit humani corporis oſsibus integris compagem, ſupino ſitu iacentem, indice digito dexteræ manus, anulum ex aurichalcho, Pontificium inſigne, pro illorum temporum

pia

pia modestia, retinentem; aliquotq; æreos numos cum Diocletiani effigie, temporis absque dubio indices, intra corpus extantes. quibus omnibus decenti cura, cum aliquot alijs sacris corporibus collectis, & ad Vrbem allatis, res vulgata Gregorium magno affecit gaudio, tantarum æquè reliquiarum inuentione, ac diei, & ordinis, quo res successerat, non absque miraculi nota memoranda obseruatione. Verùm cum eo ipso tempore Serenissimæ Gonzagæ familiæ soboles eximia, Aloysius Dynasta Castilionensis oppidi, Romani Princeps Imperij, excitaturus in eodem oppido templum memoriæ patrui sui, prærogatiuis Angelicæ puritatis antè triginta quinque annos, in sacro cætu Societatis Iesu, toto terrarum Orbe insigni, iam verò beatorum titulo in cælo lætantis Aloysij, ab Gregorio Pontifice aliquas insigniores Sanctorum Reliquias, nouo templo ornando, muniendoq; ex Christiano instituto, per Alphonsum Gonzagam Rhodiensem Archiepiscopum flagitaret, Caium nuper luci redditum, inter Romanos Pontifices Angelica puritate, antiquitatis testimonio celeberrimum, purissimi adolescentis illati nuper cælo templum illustraturum, Pontificia benignitate, atque auctoritate concessum obtinuit. ea tamen sorte, vt sicuti Romanæ Ecclesiæ Romani Præsulis, exigua licet pars Romæ fuerit reseruata, sic & Illyricani generis infimo, Illyricani patris, molaris dẽs omni gaza pretiosior mihi perpetuò colendus, cum vno ex memoratis numis denegatus non fuit. vt scias Lector me vel tanti thesauri augmẽto, & imaginibus, & scriptis pagellis, Valeriæ nobilitatis, Christinis & oculis, & auribus exponendæ, explicandæq; fuisse debitorẽ legitimè cõstitutum.

Spe-

Spectata iam fronte triumphalis Quadrigæ Valeriæ, in Gabinij Sacerdotis, & Pontificis Caij maiestate; postremæ eius parti, purpuris Augustalibus præfulgenti, ex Serenæ, & Arthemiæ eius ac Diocletiani filiæ pietate, oculos admouere liceat. Serenam igitur Imperator, vbi & Christianam & Christianæ religionis cōstantissimam patronam, vt ex actis S. Susannæ cognouimus animaduertisset, & fortassis etiam patruelium ac nepotum laniena, exterminio Valeriæ gentis, animum pupugisset, spretis gentilium suggestionibus, æquior Christianis efficitur. accessit ad hæc insigne illud beneficium quo Arthemiam vnicam filiolam à malo Dæmone obsessam, opera Cyriaci Romanæ Ecclesiæ Card. Diaconi sanitati restitutam, Christianæ pietati acceptam referebat, vt suo loco dicemus. quamobrem vt habent acta Marcelli Papæ Diocletianus cępit benè habere Cyriacum, cui & domū donauit, præcipiendo vt securus viueret in Vrbe, remtotam eadem Serena curante. cui idem Imperator cum paulò post à Sapore Rege Persarum requireretur, vt Cyriacum curandæ filię suę ab eodem malo Dęmone exagitatę, transmitteret, Cyriaci pro dignitate expediendi, necessarijsq; omnibus ornandi, negotium demandauit. vt mirùm omninò videatur Principi adeò grato erga Cyriacum, de filia sua benemeritum, ingrati animi notam inuri, quod Sanctum Vitum ob nescio quam filiam, eius precibus Dęmonis obsessu liberatam, indignissima morte confecisse dicatur. prętertim cum eo tempore quo Vitus in Lucana Martyrium subijt, [11] Diocletianus Nicomedię ageret Imperium depositurus, vel illo fortè iam deposito. vt ex Annalibus Ecclesiasticis est videre.

qui

quinimò ita Diocletianus interdum Christianorum rebus fauebat, vt ij vbiq; satis quietè agerent, Ecclesias extruerent, Concilia cogerent, totoq; terrarum Orbe dilatarentur. quæ rerum tranquillitas perdurauit ad vndeuigesimum Imperij Diocletiani annũ, maximo rei Christianæ incremento, Serena Augusta Principis animum ad piorum fauorem serenante. etenim præter ea quæ superiùs ex Eusebio retulimus, Nicephorus Calixtus, Libri Septimi, Capite Secundo, hæc eiusdem fermè Eusebianis verbis habet, dum Diocletiani regnantis æuum describit: Erat, inquit, tempus cum Christiana professio pulchrè staret, gloriaq; sua & libertate clara haberetur; Græcis iuxta & Barbaris. quòd diuini verbi prædicatio vbiq; terrarum vigeret grata & accepta; huiusce rei documenta, certa sunt, cum magnorum Principum erga homines nostros egregia beneuolentia & humanitas, ac gentes quædam, quarum prouinciæ Christianis administrandæ datæ sunt, tum Imperatores ipsi Romani, & maximi quique magistratus, qui res aulicas, & domesticas suas, nostris curandas commiserunt; eos quippè propter egregiam spectatamq; fidem præesse alijs, atque honore dignitateq; præcellere oportere iudicarunt; satis idem declarauit Dorotheus ille qui neminem honore ex magistratibus, & præfectis omnibus propter bonæ mentis integritatem, & fidem, habuit parem; præclarus Gorgonius, atque alij eis pares. qui etiam ad supremum cælestis regni honorem sunt assumpti, propter fidei sinceritatem; ac per eiuscemodi viros in locis passim quibusq; Ecclesiarum Antistitibus non parum accidit opis, & consolationis; ostendunt id quoq; plurimorum millium ho-

minum, Oratorijs, domibus, Cętus & Conuentus habiti; quæ oratoria cum propter angustiam confluentem tantam multitudinem non caperent, cernere erat ex paruis initijs, & fundamentis, in augusta amplitudine, & magnitudine admiranda in locis omnibus excitari atque construi templa; quæ ipsa temporis processu deindè incrementa quoq; ampliora cępere, cum qui ea ædificari atque augeri prohiberet, aut per fascinantem inuidiam aboleret, nemo esset; sic eà cælestis manus custodiuit, atque extra insidiarum omnium aleam esse voluit. hactenus ille.

Quid porrò in causa fuerit, cur antè vltimum Imperij annum Diocletianus animum hactenus in Christianos benignum, in acerbissimam supramodum contra eosdem insectationem commutaret, cum ex eodem Eusebio, & Nicephoro, tum ex alijs est facilè cognoscere. Eusebius Libri Octaui, Capite Primo & Secundo, quem Nicephorus ijsdem fermè verbis refert, apertè causam assignat, dum ita ait: Verùm cum nos præ nimia quadam licentia, in molitiem delicatam, & dissolutam segnitiem essemus prolapsi; cumq; alij alijs inuidere, maledictis insectari, & propè nos ipsi nos petulantibus linguis, tāquam mutuis armis oppugnare, & casu aliquando verborum contumelias, velut hastas, vnus in alium contorquere, & Præsides Ecclesiarum alter alterius vires infringere, & populus in populum seditionem concitare inciperent; cumq; ficta & adumbrata sanctitatis species, quæ oratione nequit exprimi, & simulatio fronte occultata, ad immensam quandam prauitatem serpisset, diuina vltio, dum per magna adhuc Christianorum vbiq;

versabatur frequentia, parcius aliquando, remissius, & modestius, vt solet, primo persecutione ex fratribus qui militiam exercebant inchoata, cœpit in nos animaduertere. sed vbi veluti sensibus orbati, & perstricti mente, nulla cura aut cogitatione incubuimus, vt diuinum numen in nos infensum, beneuolum & placatum efficeremus, sed tanquam impij nostras res à Deo, nec curari, nec animaduerti arbitrati, alia vitia, alijs aceruatim adiecimus; & pastores nostri depulsa repudiataq; pietatis regula, dissidio & contentione inter se exarserunt, quin etiam nullas alias res præterquam discordias, minas, æmulationem, inimicitias, & odium inter ipsos mutuo adaugere studuerunt, & animis ambitionis æstu incensis, Tyrannorum more principatum obtinere laborarunt, tunc demùm iuxta Ieremiæ sententiam: Quomodo obtexit caligine in furore suo Dominus filiam Sion, proiecit de cælo in terram inclitam Israel, &c. & Libri Sexti, Capite Secundo: Verùm non est nostrum oratione describere tristes illas calamitates, quæ ad extremũ inuectæ fuerunt; quandoquidem, neque discordias antè persecutionem inter eos commotas, neque absurdos, & importunos conatus, nostrarum partium esse putamus memoriæ commendare; quo circa nihil amplius de illis scriptis prodere decreuimus, quam vndè iustum Dei iudicium in illos declamatum, perspicue probare possemus. hæc Eusebius; causam cladis in turpissimos, vt arbitrabatur Christianorum mores reijciens, qui paulò post addit etiam insidias Christianorum detectas tunc temporis in Imperatores his verbis: Cum alij in Melitina; alij rursus in Syria Imperio insidias parare molirentur, edi-

ctum Imperatorum exijt, vt omnes Ecclesiarum Præsides, vtpotè ea de re suspecti, in carceres & vincula conijcierentur. hæc ille. qui paulò post etiam affirmat factum eiuscemodi: Cum Regia Nicomediensis in qua tunc temporis Imperator agebat, incendio conflagrasset, & ex suspicione quadam rumor esset dissipatus illud facinus à nostris esse admissum, Imperatorem supra modũ in Christianos exarsisse. ita ille. Sed & ipsi quidem Imperatores publicis monimentis, professi sunt palàm Christianos tanquam Reipublicæ euersores delere se studuisse. extat Cluniç in Hispania ad hanc vsque diem inane trophçum, columna cum inscriptione, quam ipse quoque Cardinalis Baronius suis Annalibus inseruit, sententiæ eiuscemodi.

DIOCLETIAN. IOVIVS, MAXIMI. HERCVLEVS CÆSS. AVGG. AMPLIFICATO PER ORIENTEM, ET OCCID. IMPE. ROM. ET NOMINE CHRISTIANORVM DELETO QVI REMP. EVERTEBANT.

Ex quibus constat, politici boni studio, ne dicam odio in religionem Christianam, Diocletianũ diram cladem intendisse contra Christianos, spatio quatuordecim mensium. cum Eusebius ponat initium eius anno decimonono Imperij Diocletiani, mense Dystro hoc est Martio, deposueritq; Imperium Princeps anno vigesimo nõdum exacto, Kalendis Maij ex Baroni sententia. qui notat: cũ Senatus Romanus decreuisset persecutionem contra Christanos, acclamante populo in Circo, vt Christiani bestijs subijcerentur, Diocletianum censuisse: Vanas po-

puli

puli voces minimè audiendas. cumq; Gentilium rabies Christianorum corpora contenderet nequaquam humari debere: Imperatorem rescripsisse: Obnoxios criminũ digno supplicio subiectos, sepulturæ tradi non vetare. Et quidem si non nisi politico studio Diocletianus Christianos esset insectatus, vt aliqui aiunt, nec Serenæ coniugi, nec Arthemiæ filiæ, liberè Christianam pietatem profitentibus pepercisset. at vtramq; abdicationi ipsius ab Imperio superuixisse absque vlla molestia, ex actis S. Marcelli Papæ satis perspicuum est. sed iam ad Serenam redeamus, quam cum sciamus secessui mariti fuisse superstitem, facilè credere possumus illam à Deo reseruatam fuisse ad faustissima tẽpora, vt ipsa quæ Christianorum, & in ijs sanguine & affinitate sibi iunctorum, tot funera spectauerat, prҿmio inuictæ constantiæ, sceptris Romani Imperij regendis, admotum spectare posset parente Christiana, suæ gentis Illyricæ Principem Cõstantinum, qui paulò post calcata gentilium impietate, Christianæ libertatis vindex, & Ecclesiasticæ maiestatis assertor, fҿlicissimorumq; sҿculorum instaurator esset futurus. at quo certo anno ad æternitatis præmia euolauerit, omninò est incõpertum. quicquid dicat Petrus de Natalibus. hoc certum post mariti Imperium, multo gloriosius illã de impia eius superstitione, quam illum de tot deuictis gentibus triumphasse, ac proindè tranquilliorem, quietem assecutam. extat dies anniuersaria ipsius, tabulis Ecclesiasticis adscripta, sequenti luce, qua immortalium Reginam ad immortalitatis thronum euectam, Christianus Orbis vniuersali lætatur applausu, decimoseptimo nimirùm Kalendis Septembris, vt iure meritò huic

loco

ctum Imperatorum exijt, vt omnes Ecclesiarum Præsides, vtpotè ea de re suspecti, in carceres & vincula conijcierentur. hæc ille. qui paulò post etiam affirmat factum eiuscemodi: Cum Regia Nicomediensis in qua tunc temporis Imperator agebat, incendio conflagrasset, & ex suspicione quadam rumor esset dissipatus illud facinus à nostris esse admissum, Imperatorem supra modũ in Christianos exarsisse. ita ille. Sed & ipsi quidem Imperatores publicis monimentis, professi sunt palàm Christianos tanquam Reipublicæ euersores delere se studuisse. extat Cluniç in Hispania ad hanc vsque diem inane trophęum, columna cum inscriptione, quam ipse quoque Cardinalis Baronius suis Annalibus inseruit, sententiæ eiuscemodi.

DIOCLETIAN. IOVIVS, MAXIMI. HERCVLEVS CÆSS. AVGG. AMPLIFICATO PER ORIENTEM, ET OCCID. IMPE. ROM. ET NOMINE CHRISTIANORVM DELETO QVI REMP. EVERTEBANT.

Ex quibus constat, politici boni studio, ne dicam odio in religionem Christianam, Diocletianũ diram cladem intendisse contra Christianos, spatio quatuordecim mensium. cum Eusebius ponat initium eius anno decimonono Imperij Diocletiani, mense Dystro hoc est Martio, deposueritq; Imperium Princeps anno vigesimo nõdum exacto, Kalendis Maij ex Baroni sententia. qui notat: cũ Senatus Romanus decreuisset persecutionem contra Christanos, acclamante populo in Circo, vt Christiani bestijs subijcerentur, Diocletianum censuisse: Vanas po-

puli

puli voces minimè audiendas. cumq; Gentilium rabies Christianorum corpora contenderet nequaquam humari debere: Imperatorem rescripsisse: Obnoxios criminũ digno supplicio subiectos, sepulturæ tradi non vetare. Et quidem si non nisi politico studio Diocletianus Christianos esset insectatus, vt aliqui aiunt, nec Serenæ coniugi, nec Arthemiæ filiæ, liberè Christianam pietatem profitentibus pepercisset. at vtramq; abdicationi ipsius ab Imperio superuixisse absque vlla molestia, ex actis S. Marcelli Papæ satis perspicuum est. sed iam ad Serenam redeamus, quam cum sciamus secessui mariti fuisse superstitem, facilè credere possumus illam à Deo reseruatam fuisse ad faustissima tẽpora, vt ipsa quæ Christianorum, & in ijs sanguine & affinitate sibi iunctorum, tot funera spectauerat, pręmio inuictæ constantiæ, sceptris Romani Imperij regendis, admotum spectare posset parente Christiana, suæ gentis Illyricæ Principem Cõstantinum, qui paulò post calcata gentilium impietate, Christianæ libertatis vindex, & Ecclesiasticæ maiestatis assertor, fęlicissimorumq; sęculorum instaurator esset futurus. at quo certo anno ad æternitatis præmia euolauerit, omninò est incõpertum. quicquid dicat Petrus de Natalibus. hoc certum post mariti Imperium, multo gloriosius illã de impia eius superstitione, quam illum de tot deuictis gentibus triumphasse, ac proindè tranquilliorem, quietem assecutam. extat dies anniuersaria ipsius, tabulis Ecclesiasticis adscripta, sequenti luce, qua immortalium Reginam ad immortalitatis thronum euectam, Christianus Orbis vniuersali lætatur applausu, decimoseptimo nimirùm Kalendis Septembris, vt iure meritò huic

loco quadret Regij Vatis oraculum. Adducentur Regi virgines post eam: Proximæ eius afferentur tibi.

Claudit agmen triumphalis currus, ipsamq; Valerij triumphi pompam, ætate Valerijs omnibus, ordineq; postrema, liliorum candore, & rosarum suauitate, immarcescibili corona redimita, digna omninò cuius eximia virtute nobilitas hactenus in Orbe Christiano nullatenus visa, concludatur, Arthemia Diocletiano Augusto Serenaq; Augusta prognata. eam adolescentulam cum preces & lachrymæ piæ parentis, vnicæ filiæ saluti inhiantis, paternæ impietati, & sororiæ conditioni infelicissimæ subtrahere conarentur, humani generis hostis antiquus, maternorum viscerum pietatem elusurus, virgineum inuasus corpusculum, furialiq; præsidio circumseptum, vindicat sibi, paulò post Deo dicandum relicturus. inopinatæ rei casu Diocletianus horrendum in modum perterritus, aliquandiù præ nimio mœrore ipso cibo, totâ die abstinuit. at cum nullum finem faceret inquirendi remedia, quibus filiam saluti pristinæ restitueret, contigit vt eo prorsus tempore, inter Christianos quos Maximianus Herculius ex Africa rediens, vt habēt acta Marcelli Papæ, ædificio Thermarum Romanarum, Diocletiano nomini dicandarum damnauerat, Cyriacus Romanæ Ecclesiæ Diaconus, cum Largo, & Smaragdo, pietate haberentur insignes; quippè qui facultatibus sibi à Thrasone admodum pio viro, & opum Maximi tribuni siuè Comitis, secreto dispensatore, vt dictum est, attributis, laborantium Christianorum in Thermis, inopiam & inediam subleuabant; cuius rei causa carceribus mancipati, iampridem longa detinebantur custodia; ad quos

breui

breui tempore cępit fieri concursus ingens Christianorum quocunque morbo oppressorum, præsertim verò ad Cyriacum, diuina ope ægritudines eorum curantem. quadam ergo die dum tartarea luces puellare corpus quod insederat, insuetis cruciatibus afflictaret, idq; Diocletiano nunciatum esset, accessit pater ad filiæ cubiculum, infęlicitatis eiusdem conditionem miseratus. quo præsente tartareus Satanæ satelles per os puellæ cępit clamitare: se ex illo corpore nunquam egressurum, nisi veniret Cyriacus Diaconus. cum igitur iussu Imperatoris conquisitum, & è carceribus eductum, rogat Diocletianus ipse vt ad Arthemiã opem laturus accedat, ad quã cum intrasset, hisce verbis Dæmonem affatus est: In nomine Domini Iesu Christi Crucifixi exi, vt vas mundum efficiatur superuenienti Spiritui sancto hæc puella. ipsi verò: Crede, inquit, filia, crede in Deum Patrem omnipotentem, & in Iesum Christum Filium eius vnicum Dominum nostrum: ad hæc illa magnis vocibus exclamat Dæmone impellente: O Cyriace si hinc me eijcis, ego te in Persidem vsque compellam. porrò Cyriacus magis perfidiæ colubrum vrgens, easdem voces ingeminat: In nomine Domini nostri Iesu Christi exi: quibus exire compulsus, Arthemia statim in eiuscemodi voces prorupit: Per ipsum nomen te adiuro: O Cyriace vt me baptizes, quia video procul Dominum, quem tu prædicas; & quia fortè allisione Dæmonis humi strata iacebat, adnitentibus Largo, & Smaragdo Cyriaci socijs, eleuatur à terra; requieq; ei concessa eo die, sequenti luce ex Christiano instituto, Cyriacus puellam Christianam legem edocuit, mox allatam aquam cum ritè sacrasset, præsente

Serena Augusta matre, illam lauacro Christiano expiauit, maximo eiusdem matris gaudio: quæ ab eo die in posterum, iugiter expiatæ recenter filiæ, illud repetebat, vt nimirùm Christianam religionem amaret. Diocletianus insperata filiæ salute cognita, Cyriacum & socios omnimodæ libertati asseruit, signoq; grati animi, eidem de filia sua optimè merito, domum in Vrbe non longè à Valerijs ædibus assignatam donauit; multisq; alijs beneficijs in dies Serena Augusta pietatem Christianam promouente auxit. contigit Arthemiæ salutare lauacrum circa annum Imperij Diocletiani Principi decimum septimum. post triumphum Caij Pontificis aliorumq; eius domesticorum anno quarto. Christianæ verò fęlicitatis exortæ trecentesimum, fatali fęlicitate tertio sęculo concluso. ex quo tempore Arthemia in sinu, & sub educatione sanctissimæ matris tantùm profecit, quantum vitæ eius gloriosa martyrij constantia præclarus exitus comprobauit. intereà temporis cum iam tertius annus post Augustalem Virginem saluti mentis æquè ac corporis restitutam ad finem accederet, adest nuntius à Persarum Rege Sapore, cum litteris ad Diocletianum quibus summopere Imperatorem deprecabatur, vt Cyriacum Diaconum ad se in Persidem, pro cura filiæ Iobiæ à Dæmone cruciatæ transmitteret. Princeps verò cum eo tempore longè ab Vrbe abesset, Serenæ Augustæ Romæ cum filia agenti, negotium Cyriaci in Persidem pro voto Regis, & legatorum mittendi committit. illa significata voluntate mariti Cyriaco, in nomineq; Domini iter aggredientem, eundem cum socijs Largo & Smaragdo, naui, vehiculis, cęterisq; necessarijs rebus instructum Christiana libera-

litate,

litate, destinat ad Saporem: apud quem re feliciter succedente, breui indè Romam reuertitur. Quem Diocletianus redeuntem magno honore affecit: Serena verò cum filia ingenti alacritate in domibus eidem iam ab Imperatore donatis excepere. nec multo post, duobus nempè mensibus expletis, Diocletianus vigesimum Imperij annum agens, cum summo quietis otijq; desiderio teneretur, vt plures scribunt idcircòq; iampridem amplissimas ædes, omni Regia magnificientia, in Dalmatia, altero fermè milliario propè Salonas, secessui suo præparasset, nulla senectutis vrgente molestia, regni habenas Nicomediæ deposuit, inque priuata vita ad littus natalis soli secessit. [11] Constat quippè eū, qui multis anteà annis palatium quieti suæ ea maiestate, qua maxima ex parte nobilissimum terrarum Orbis ædificium ætate nostra [12] Spalatensi Vrbi mœnia præstat admiranda, curauerat extrui, quietis desiderio, & illarum miseriarum quibus Principes irretiri ineuitabiliter, ipse conqueri dolereq; consueuerat declinandarum gratia, quod nullus Principum ad hanc diem est ausus, id perfecisse. scribit enim Flauius Vopiscus in Aureliano, patrem suum ab ipsomet Diocletiano audiuisse dolente: Nihil esse difficiliùs quam benè imperare. quatuor enim vel quinque colligi dicebat Diocletianus, qui vnum consilium ad decipiendum Imperatorem capiunt: dicunt quid probandum sit; Imperator qui domi clausus est, vera non nouit, cogitur hoc tantum scire quod illi loquuntur, facit Iudices quos fieri non oportet, amouet à Republica, quos debet retinere, quid multa aiebat ipse, bonus, cautus, optimus, venditur Imperator. hæc Diocletianus adhuc

priuatus teste Vopisco. vndè priuatæ vitæ desiderio eum flagrasse minimè mirùm, vtpotè qui vicennali Regni spatio, bonorum Principum vix alio quam eo quo ille consilio, vitandum fuerat expertus infortunium. hinc cum per decem annos integros rusticando summa vtcumq; tranquillitate residuum vitæ transigeret, omnibus Imperij curis abdicatis, nec legationibus Prouinciarum, nec ipsius Romani Senatus, nec Collegæ qui cum ipso regnum deposuerat, iteratis precibus solicitatus, adduci vnquam potuit vt Imperiũ resumẽdo, votis eorum acquiesceret, illud subindè repetẽdo, se satis Reipublicę inseruisse, & vt ait Pōponius Lętus: Nolle se amplius venena libere. Et tũc primũ sibi Soles affulsisse cũ in patria manu sua olera comedenda sibi, serere cępisset. hinc iure merito Orbis & Vrbis felicitas S.D.N. Vrbanus dũ antè summũ Pontificatum rusticanis secessibus honestissimis indulgendo, iucundissima Musarum familiaritate oblectaretur; ad amicum quem rusticatum inuitabat, hæ de Diocletiano, mellifluo suo carmine cecinit.

Quem sæpè victis hostibus, inclyto
Romam triumpho, viderat inuehi,
Ostroq; præfulgentem, & auro,
Dalmaticis Dioclen in Hortis;

Fastidientem mœnia Romuli,
Vidit, iuuentus Martia Tybridis,
Mirata priuatum, superbos
Imperij posuisse fasces.

Dio-

Diocletiano in otium sese recipienti, sicuti & Maximiano Collegæ, adoptati pridem Cęsares & successores, ab illo Galerius Maximianus, ab hoc Constantius Chlorus Illyricorum indigenæ, vt Victor ait, libera imperandi authoritate, sed magna morum diuersitate succedunt, quantum enim Constantius erga omnes benignum sese ac humanum exhibuit Principē, tantùm Galerius, Christianis infensus in primis, sanguinarium se contra illos per omnia gessit, vt nec ab vnicæ Diocletiani filiæ Arthemiæ sanguine, viuente Diocletiano patre manus abstinere voluerit. præcipua desæuiendi in Virginem illi causa fuisse videtur, quod nullo modo ferrè posset Christianam pietatem studio Cyriaci Diaconi, per libertatem vt dictū est à Diocletiano eidem concesā, & Arthemiæ Virginis Augustalis generis exemplo, dilatari, atque illustrari. propterea enim vt narratur in actis Marcelli, Maximianus Augustus præcipit, vt Christiani vbicunque fuissent punirentur, & zelo ductus propter sororem suam Arthemiam, misit ac tenuit Cyriacum Diaconū. ita ibi. primò itaq; illum post diros cruciatus, cum quibusdam alijs morte mulctauit, mox ipsam quoque Arthemiam, non multo antè sanctissimæ parentis Serenæ patrocinio orbatam, cum nullatenus à Christiana pietate colenda posset abducere, ingratus frater, capite truncatam, cælo, terrisq; reddidit illustrissimam. at eiuscemodi immanitas breui tempore, magno illi stetit. eas enim pęnas, ab Eusebio fusè descriptas totius Orbis admiratione, ab irato Deo in corpus eius immissas, persoluit, quibus volens nolens, damnatam à se, & omni sæueritate exagitatam Christianam religionem, lege lata publicè approbauerit,

ſceleriſq; ſui atrocitate deteſtata, vitam & regnum miſerandum in modum amiſerit. vt Chriſtianam gloriam, quam trecentorum annorum ſpatio Ethnicorum Principum violenta conculcare, & excindere fruſtrà ſtuduerat authoritas; Arthemiæ ſanguis tanquam alterius innocentis Abelis vocem ad Deum emittens, ex ipſius Tyrannicæ impietatis ore, legibus publicis approbatam, extorſerit. comprobata veritate diuini illius oraculi, Nullum eſſe conſilium, nullam ſapientiam contra Dominũ. Arthemiæ corpus Marcellus Pontifex, & Lucina pietatis inclytæ fęmina, iuxta Suſannæ reliquias condiderunt. vndè multo poſt tempore, ad Eccleſiam Sancti Sylueſtri in Campo Martio, à Dionyſio Primo Pontifice, vt fertur cõditam, à Paulo I. auctam, tranſlatum, ibidem hactenus requieſcit. contigit Arthemiæ triumphus circa extremã Marcelli Papæ tempora, octauo fortè anno ſuprà trecenteſimum inſtauratæ ſalutis annum; feritate Galerij contra Chriſtianos, eoſq; ſuæ gentis, exercitæ nobilem ac proindè Illyricæ Eccleſiæ clarum in paucis. eo enim decurrente, præter Arthemiam, præſtantiſſimos Præſules, proprio ſanguine purpuratos, tanquam Valerij triumphi aſſeclas; Quirinum Sciſciæ, Felicem Salonarum, Ireneum Sirmij, Principũ Vrbium totius Illyrici; necnon nobiliſſimos Chriſti milites Vrſicium, & Alexãdrũ; Monaſticæq; vitæ & profeſſionis in Orbe Chriſtiano [14] authorem, & parentem Sirenum, ſæuiente Galerio, cælo dederunt Illyrici. Dies natalis Virginis, idem cum anniuerſaria memoria Cyriaci Diaconi & ſociorũ, ſexto idus Auguſti recenſetur, cum re verà, decimã ſeptima die Kalendarum Aprilis, mortalitatem immortalitate, commutarint.

S. CAII PAPAE EPISTOLA

AD FELICEM EPISCOPVM.

De accusatoribus. De Diuinitate, ac vera Humanitate Christi. De ordinatione Episcoporum, ac diuisione magnarum Vrbium in regiones. De Quæstionibus difficilioribus ad Sedem Apostolicam referendis.

Dilectissimo Fratri Felici Caius.



IRECTAS ad nos tuæ charitatis epistolas plenas catholicæ inquisitionis solicitudine gratanter accepimus, benedicentes Domini nostri clementiam, qui tales ab extremis mundi partibus dignatur suis ouibus prouidere pastores, per quos & pascuis valeant salutaribus abundare, & ab iniqui lupi rapacitate seruari, vt insidias nequeant eius subreptionis incurrere. Vndè certum est, quia promissæ vos beatitudinis gratia subsequatur, quando à vobis cælestium perfectio doctrinarum tàm votiua sciscitatione perquiritur. Scriptum est enim: Beati qui perscrutantur testimonia eius, & in toto corde exquirunt eum. Hoc ergo, frater charissime, propositum tuæ consultationis totamente tractantes de te quoque prouenire confidimus, qui

regulam catholicæ fidei ijſdem ſtudes tenere veſtigijs, quibus eam in Apoſtolica ſede cognoſcis eſſe fundatam. & quamuis ſonus eorum toto Orbe diffuſus, & vſque ad fines Orbis verba eorum diſtenta, dilectionis tuæ corda Chriſto probauerunt eſſe fidelia, tamen ſi quid ex his in Eccleſia, quæ tuæ gubernationi, Domino auxiliante, commiſſa eſt, nec dum plena luce claruerit, ad eundem fontem, de quo illa ſalutaris manarat lympha, recurritis, id eſt, quod debita charitate ſumus amplexi, quia fiducialiter de his, vndè obſeruãtiam eſſe dixiſtis ambiguam, noſtra voluiſtis reſponſione firmari. Quapropter dilectionem tuam in Domino ſalutantes, de ſingulis, quid iuxta catholicam diſciplinam teneat Apoſtolicæ ſedis auctoritas, ſubiectis aliquibus etiam ſanctarum capitulis regularum te credimus inſtruendum.

Primo quidem ſcias, Paganos, & hæreticos non poſſe Chriſtianos accuſare, aut vocem eis infamationis afferre.

Deinde: Nemo vnquam Epiſcopum apud Iudices ſeculares, aut alios Clericos accuſare præſumat.

Et ſi quis Epiſcopus, Presbyter, aut Diaconus, vel quilibet Clerici apud Epiſcopos, (quia alibi non oportet à qualibet perſona, quæ ritè recipiẽda eſt) fuerint accuſati, quicũq; fuerint, ſiuè ille fuerit ſublimis vir honoris, ſiuè alterius dignitatis, qui hoc genus illaudabilis intẽtionis arripuerit, nouerit probationis documẽta ſe debere inferre.

Si quis ergo circa huiuſmodi perſonas non probanda detulerit, auctoritate huius ſanctionis, intelligat, ſe iacturam infamiæ ſuſtinere, vt, damno pudoris, æſtimationis diſpendio, diſcat ſibi alienæ verecundiæ impunè inſidiari ſaltem de cętero non licere.

Nam

Nam qualiter ad Concilium veniatur, aut qualiter de suis rebus expoliati, vel eiecti à sedibus proprijs, aut qui accusatores sint recipiendi, quiuè non sint, aut qualiter eiectis, & expoliatis sint omnia legibus redintegranda, quæ eis ablata sunt, & quia priusquam hoc factum fuerit, nullum crimen ei obijci poterit, & qualiter illis induciæ post integram restaurationem anniuersarię, vel sex mensium indulgendæ sint, & qualiter sua omnia licenter, & pacificè absque vllius graui impedimento disponere, & suorum amicorum, & ecclesiasticorum Patrum consilijs vti debeat, ab Apostolis, eorumque successoribus, ac nostris prædecessoribus statutum esse putamus. Super his autem non reor amplius nunc fore disputandum, nisi si surrexerint talia, quæ adhuc non sunt manifesta. Si eorum autem statuta non habueritis, mittite fidelissimos Scriptores, qui hæc coram fidelibus testibus excipere, vobisq; reportare sub stipulatione valeant. Cęterum vt satisfaciam consultis tuis de verbo incarnationis, & veritatis, quicunque illi sint ita obcæcati, & à lumine veritatis alieni, vt Verbi Dei à tempore incarnationis denegent veritatem, ostendant in quo sibi Christianum nomen vsurpent, & cum Euangelio veritatis qua ratione concordent, si Beatæ Virginis partu, aut caro sine Deitate, aut Deitas est orta sine carne: sicut enim negari non potest Euangelista dicente: quod Verbum caro factum est, & habitauit in nobis, ita negari non potest beato Apostolo Paulo prædicãte: Quod Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi. Quæ autem reconciliatio posset esse; qua humano generi repropitiaretur Deus si hominis causam mediator Dei, hominumque non susciperet?

Qua verò ratione veritatem mediatoris impleret, nisi qui in forma Dei æqualis est Patri, in forma serui particeps esset & nostri, vt mortis vinculum vnius præuaricatione contractum, vnius morte, qui solus morti nihil debuit, soluerentur? effusio enim iusti sanguinis Christi, tam fuit diues ad pretium, vt si vniuersitas captiuorum in redemptorem suum crederet nullum diaboli vincula retinerent. Quoniam, sicut Apostolus ait, vbi abundauit peccatum, superabundauit & gratia, & cum sub peccati præiudicio nati, potestatem acceperint ad iustitiam renascendi, validius factum est donum libertatis, quàm debitum seruitutis. Quam itaque sibi in huius sacramenti præsidio spem relinquunt qui in Saluatore nostro negant humani corporis veritatem? dicant quo sacrificio sint reconciliati? dicant quo sanguine sint redempti? Quis est, vt ait Apostolus, qui tradidit semetipsum pro nobis oblationem, & hostiam Deo in odorem suauitatis? Aut quod vnquam sacrificium sacratius fuit, quàm quod verus, & æternus Pontifex altari Crucis per immolationem suæ carnis imposuit? licèt in conspectu Domini pretiosa iustorum mors fuit, nullius tamen insontis occisio redemptio fuit mundi. Acceperunt iusti, non dederunt coronas. De fortitudine fidelium exempla nata sunt patientiæ, non dona iustitiæ. Singulares quippè in singulis mortes fuerunt, nec alterius quisquam debitum suo fine persoluit, cum Filius hominis vnus solus Dominus noster Iesus Christus, qui verè erat immaculatus, extiterit, in quo omnes crucifixi, omnes mortui, omnes sepulti, omnes etiam sunt suscitati. De quibus ipse dicebat: Cum exaltatus fuero à terra omnia traham ad me ipsum.

Fides

Fides enim iustificans impios, & creans iustos ad humanitatis retracta participium in illo acquirit salutem, in quo solo homo se inuenit innocentem, liberum habens per gratiam Dei de eius potentia gloriari, qui contra hostem humani generis in carnis nostræ humilitate congressus his victoriam suam tribuit, in quorum corpore triumphauit.

Licèt ergò in vno Domino nostro Iesu Christo, vero Dei, & hominis filio verbi, & carnis vna persona sit; quæ inseparabiliter, atque indiuisè communes habeat actiones, intelligendæ tamen sunt ipsorum operum qualitates, & sinceræ fidei contemplatione cernendum est, ad quæ prouehatur humilitas carnis, & ad quæ inclinetur altitudo Deitatis; quid sit, quòd caro sine Verbo non agit, & quid sit, quòd Verbum sine carne non efficit. Sine Verbi enim potentia nec conciperet Virgo, nec pareret, & sine veritate carnis obuoluta pannis infantia non iaceret.

Sine Verbi potentia non adorarent Magi puerum Stella indice declaratum: Sine veritate carnis non iuberetur transferri in Ægyptum puer, & ab Herodis persecutione subduci: Sine Verbi potentia non diceret vox Patris missa de cælo: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui. Et sine veritate carnis non protestaretur Ioannes: Ecce agnus Dei, Ecce qui tollit peccata mundi. Sine Verbi potentia non fieret redintegratio debilium, & viuificatio mortuorum, & sine veritate carnis nec cibus ieiuno, nec somnus esset necessarius fatigato. Postremò sine Verbi potentia non se Dominus Patri profiteretur æqualem, & sine veritate carnis non idem dice-

ret, patrem se esse maiorem, cum catholica fides vtrũq; suscipiat, vtrumque defendat, quæ secundùm confessionem B.Petri Apostoli vnum Christum Dei filium & hominem credit, & Verbum. Quamuis itaque ab illo initio, quo in vtero Virginis Verbum caro factum est, nihil vnquam inter vtramque formam diuisionis exstiterit, & per omnia incrementa corporea vnius personæ fuerint totius temporis actiones, ea ipsa tamen, vt ita dicam, quæ inseparabiliter facta sunt nulla permixtione confundimus, sed quid cuiusque formæ sit ex operum qualitate sentimus.

Dicant ergò isti hypocritæ, qui cæcis mẽtibus lumen nolunt recipere veritatis, in qua forma ligno Crucis Dominus maiestatis Christus affixus sit? quid iacuerit in sepulcro, & reuoluto lapide monumenti, quæ tertia die caro resurrexit, & in qua post resurrectionem suam non credentes quosdam Discipulos suos arguebat, & hæsitationem cunctantium confutabat, cum diceret: Palpate, & videte, quia spiritus carnem, & ossa non habet sicut me videtis habere. Et Apostolo Thomæ: Infer manum tuam in latus meum, & vide manus meas, & pedes, & noli esse incredulus, sed fidelis. Qua vtique manifestatione corporis sui iam hæreticorum mendacia destruebat, vt vniuersa Ecclesia Christi, innouanda doctrinis, hoc sibi non dubitaret credendum, quod Apostoli susceperant prædicandum. At si in tanta luce veritatis tenebras suas hæretica obduratio non relinquit, ostendant vbi spem vitæ sibi polliceantur æternæ, ad quam nisi per mediatorem Dei, & hominum hominem Iesum Christum non potest perueniri. Sicut enim ait Beatus Petrus

Apo-

Apostolus: Non est aliud nomen datum hominibus sub cælo, in quo oporteat eos saluos fieri, nec est redemptio captiuitatis humanæ, nisi in sanguine eius, qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus; & qui, sicut prædicat Apostolus, cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo, humiliauit semetipsum factus obediẽs Patri vsque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genuflectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris. Cum ergò vnus sit Dominus Iesus Christus, & veræ Deitatis, & veræ Humanitatis in ipso vna prorsus eademq; persona sit, exaltationem tamen, qua illum, sicut Doctor gentium dixit, Exaltauit Deus, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen, ad eam intelligimus pertinere formã, quæ ditanda erat tantæ glorificationis augmento. In forma quippè Dei æqualis erat filius Patri, & inter genitorem, atque vnigenitum nulla erat in essentia discretio, nulla in maiestate diuersitas, nec per Incarnationis mysterium aliquid decesserat Verbo, quod ei patris munere redderetur. Forma autem serui, per quam impassibilis Deitas sacramentum magnæ pietatis impleuit humana humilitas est, quæ in gloriam Diuinæ potestatis euecta est in tantam vnitatem ab ipso conceptu Virginis Deitatis & Humanitatis conserta, vt nec sine homine, Diuina; nec sine Deo agerentur humana. Propter quod,

ſicut Dominus maieſtatis dicitur Crucifixus, ita qui ex ſempiternitate æqualis eſt Deo, dicitur exaltatus, quia inſeparabiliter manente vnitate perſonæ, vnus, atque idem eſt, & totus hominis filius propter carnem, & totus Dei filius propter vnam cum Patre Deitatem. Quidquid ergo in tempore accepit Chriſtus ſecundùm hominem accepit, cui, quæ non habuit, conferrentur. Nam ſecundùm potentiam Diuinitatis indifferenter omnia, quæ habet Pater, habet etiam filius, & quæ in forma ſerui à Patre accepit, eadem in forma Dei & ipſe donauit. Secundùm enim Dei formam ipſe & Pater vnum ſunt. Secundùm formam autem ſerui non venit facere voluntatem ſuam, ſed voluntatem eius qui miſit eum. Secundùm formam Dei ſicut Pater habet vitam in ſemetipſo, ſic dedit, & filio vitam habere in ſemetipſo. Secundùm formam ſerui; triſtis eſt anima mea vſque ad mortem. & idem ipſe eſt, ſicut Apoſtolus prædicat, diues, & pauper. Diues, quia Euangeliſta dicente; In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, hoc erat in principio apud Deum, omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil. Pauper verò; Quia propter nos Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis. Quæ autem eſt exinanitio eius, quæuè paupertas, niſi formæ ſeruilis acceptio, per quam, Verbi maieſtate velata, diſpenſatio humanæ redemptionis impleta eſt! Nam, quia captiuitatis noſtræ reſolui originalia vincula non poterant, niſi exiſteret homo noſtri generis, noſtræq; naturæ, quem peccati præiudicia non tenerent, & qui immaculato ſanguine ſuo chirographum lethale dilueret, ſicut ab

ini-

initio erat diuinitùs præordinatum, ita eſt in plenitudine temporis perfectum, vt multis modis ſignificata promiſſio, in diù expectatum veniret effectum, nec poſſet eſſe ambiguum, quod continuis teſtificationibus ſemper fuerat nuntiatum. In magno autem ſacrilegio ſe verſari hæreticorum manifeſtat impietas, cum ſub ſpecie Diuinitatis honorandæ, humanæ carnis in Chriſto denegant veritatem, & religiosè exiſtimant credi ſi dicatur, in Saluatore noſtro verum non eſſe, quod ſaluat; cum ita ſecundùm promiſſionem omnia ſecula præcurrentem mundus ſit Deo reconciliatus in Chriſto, vt niſi verbum dignaretur caro fieri, nulla poſſet caro ſaluari. Omne enim ſacramentum Chriſtianæ fidei, vt hæretici volunt, magno decoloratur obſcuro, ſi lux veritatis ſub mendacio putatur latuiſſe phantaſmatis. Non ergò quiſque ſibi erubeſcendum exiſtimet Chriſtianus de noſtri in Chriſto corporis veritate, quia omnes Apoſtoli, Apoſtolorumq; diſcipuli, & præclari Eccleſiarum quique Doctores, qui ad martyrij coronam, vel ad confeſſionis meruerunt gloriam peruenire in huius fidei lumine ſplenduerunt, conſonis vbiq; ſententijs intonantes, quòd in Domino Ieſu Chriſto Deitatis; & carnis vna ſit confitenda perſona. Qua autem rationis ſimilitudine, qua diuinorum voluminum portione hæretica impietas ſe exiſtimat adiuuari, quæ veritatem negat corporis Chriſti, cum hanc non lex teſtificari, non prophetæ præcinere, non Euangelia docere, non ipſe deſtiterit Chriſtus oſtendere? Quærant per omnem ſeriem ſcripturarum, quo tenebras ſuas fugiant, non quo verum lumen obſcurent, & per omnia ſecula ita veritatem inueniant coruſcãtem, vt

ma-

magnum hoc, & mirabile ſacramentum ab initio videāt creditum, quod eſt in fine completum. de quo cum ſanctarum literarum nulla pars ſileat, ſufficit, quædam conſona veritatis ſigna poſuiſſe, quibus diligentia fidei in ſplendidiſſimam latitudinem dirigatur, & ſinceræ intelligentiæ luce perſpiciat, quod in filio Dei, qui ſe inceſſabiliter filium hominis, & hominem profitetur non ſit Chriſtianis erubeſcendū, ſed conſtantiſſimè gloriādum, quoniam (ſicut ait B. Apoſtolus) Magnum eſt pietatis ſacramentum, quod manifeſtatū eſt in carne, iuſtificatum eſt in ſpiritu, apparuit Angelis, prædicatum eſt gentibus, creditum eſt mundo, aſſumptum eſt in gloria.

De Epiſcoporum verò, & Presbyterorum, Diaconorumq; & ſequentium Clericorum Ordinationibus, Sanctos Apoſtolos, & ſucceſſores eorum, & præcipuè Anacletū, & prætereà alios ſufficienter ſtatuiſſe cognoſcimus; & idcircò non eſt neceſsè nunc replicari, niſi quod illi nō ſtatuerunt. Illud tamen nos ſtatuentes vobis & omnibus ſeruare mandamus, vt ad Ordines Eccleſiaſticos ſic aſcēdant in Eccleſia, qui ordinari merentur. ideſt; ſi quis Epiſcopus eſſe meretur, ſit primò Oſtiarius, deindè Lector, poſteà Exorciſta, indè ſacretur Acolythus, demùm verò Subdiaconus, deindè Diaconus, & poſteà Presbyter, & exindè ſi meretur Epiſcopus ordinetur.

Et regiones, ſicut in hac Vrbe fecimus, per ſingulas Vrbes, quæ populoſæ fuerunt, diuidantur.

Et quæcunque difficiles quæſtiones per ſingulas Prouincias exortæ fuerint, ſēper ad Sedem Apoſtolicam referātur. Benè vale frater, & ora pro nobis. Dat. Kal. Martij, Diocletiano IV. & Conſtātino II. viris Clariſs. Conſulibus.

NOTÆ

NOTAE
AD NOBILITATEM
VALERIAM.

1 E Domitio Probi Imperatoris fratre, eiusq; filijs Probo & Metrophane Bizantinis Episcopis subindè succedentibus, Nicephorus in Chronico Lib. 8. Cap 6. hęc habet: Ad Domitium, inquit, Probi Imperatoris fratrem Episcopatum transmisit, atque huic Probus filius successit, & Domitius antistitis honorem viginti quatuor, Probus duodecim annis gessit. cuius Metrophanes frater successor fuit, hic annis decem cum ingenti laude Episcopale ministerium cohonestauit, sub quo etiam Constantinus semper Augustus cognominem sibi Vrbem mirificè condidit. ita ille. hinc omninò corrigendus mihi videtur Flauius Vopiscus dum scribit, posteros Probi Imperatoris vel odio vel timore rem Romanam fugisse, & in Italia circa Veronam & Benacum lares posuisse, nam Domitium cum filijs quadraginta sex annorum spatio Bizantij summis apud Christianos honoribus functos apertè constat, à quo Domitio Hadrinum Probi Imperatoris filium Nicomediæ à Licinio martyrij corona auctum, quòd eum immanitatis in Christianos reprehendisset, Arginopoli fuisse sepultum, ex Ecclesia-

ſticis tabulis habemus perſpicuum. quod porrò Vopiſcus rem Romanam fugiſſe imputat Probi poſteros, indè hoc fit, quoniam Chriſtiani indigniſſimæ ſortis homines habebantur, ita apud Suetonium in Domitiano, Flauius Clemens eiuſdem Domitiani patruelis, cum filijs in ſucceſſionem Imperij adoptatis, Chriſtianus cum ijſdem detectus, inertiſsimæ vitæ accuſatus, cum prole ſublatus eſt: hac etiam ratione vt habemus in actis S. Suſannæ, Gabininus Claudio fratri nomine Diocletiani Principis Suſannam Galerio iungere ſatagenti; ſe humiles, indignos ait cognatos dici maiorum.

2 Caio Aurelio Valerio. hunc patrem fuiſſe Caij, patris Caij Pontificis, Valerij itidem. quo Diocletianus natus eſt, Marcus Marulus integritatis eximiæ, grauiſsimiq; iudicij Scriptor ex marmore, & archiuijs Salonitanę probat Eccleſiæ. cui accedit Anaſtaſius, Luitprandus & Abbo. quare longè aberrant qui Diocletianum ſcribunt duos fratres habuiſſe, alterum eorum Maximinum dictum, ex eo quòd in actis S. Suſannæ, Claudius appellat Gabinium filium Maximini famatiſsimi Senatoris & Exconſulis. cum vel ex eo quòd eundem Maximinum ſtatim dicat cònſobrinum Auguſtorum, acta ibi corrupta detegantur, quid enim eſt conſobrinus, quid frater, nulli eſt incompertum. adde, quod nullus Scriptorum vnquam ne verbum quidem de fratribus Diocletiani fecerit. Diocletianumq; ipſum orbum filijs, minime Galerium, Conſtantiumq; nullo ſibi ſanguinis vinculo iunctos, ſucceſſores in Imperio adoptaturum fuiſſe, numeroſa prole nepotum quam ei ex duobus fratribus fingunt, extante, amor & ipſius in ſuos propenſio, Suſanna teſte

ſuadet

ſuadet credere. Vndè porrò, & quis potuerit eſſe fictus hic Maximinus Exconſul & Senator, ingenuè me fateor ignorare, niſi fortè, Claudius Gabinium,& Caium, ſeq; ſimul, non filium, ſed nepotem voluerit intelligere Maximini, quem Sextus Aurelius Victor Patrem Probi Imperatoris fuiſſe ſcribit, præſertim, cum eundem etiam Claudius patruum nominet: vtcunque is error ſucceſſerit ſtemma Valerium tale habemus.

CAIVS AVRELIVS VALERIVS

VALERIVS CAIVS

DIOCLETIANVS CAIVS GABINIVS CLAVDIVS MAXIMVS
SERENA: PRAEPEDIONA

VALERIA ARTHEMIA SVSANNA ALEXANDER CVTHIA

Hoc ſtemmate nobilis Caius ad ſummum Reipublicæ Chriſtianæ Principatum, virtutum gradu conſcendit. Hoc Diocletianus,iamdudùm vt ſcribit Nicephorus Calixtus Libri Quarti, Capite Trigeſimoquarto, Senator, & Conſulatu geſto clarus, quique plurima manu ſua fecerat facinora, & bello ſtrenuus, & conſilio promptus habebatur, ab Exercitu renũciatur Imperator. hæc Nicephorus, contra eos qui nobiliſſimum Principem, libertini generis, & ſcribæ filium affirmare ſunt auſi.

3 Salonis. Cum conſtans Scriptorum aſſertio Salonitanum Caium cum fratribus faciat, gratis ergò Antonius Gallonius, vir alioqui ſacrarum hiſtoriarum induſtria

præclarus, Caium natione Dalmatã, natiuitate Romanũ fingit, in vita S. Susannæ, quam itidem eodẽ modo inter Romanas Virgines describit.

4 Primitię generis Augustalis. Tryphoniã vxorẽ Decij Principis cũ Cyrilla filia, primas extitisse quæ ex laribus,& sãguine Romanorũ Imperatorũ, Christi fidẽ amplexatæ,pro eadẽ tuenda,sanguinẽ ipsum quoq; alacriter fuderint, extra cõtrouersiã est,cũ nulla Augustalis soboles præter Quirinũ Philippi filiũ itidem Illyricũ ad Decium vsque inter Christianos,nedũ inter martyres agnoscatur, vt gens Illyrica sicuti Irenẽ Regia Thracũ stirpe Virginẽ, fęminei sexus Prothomartyrẽ, cuius vitã egregio labore illustrauit. nuper Antonius Beatilus ex Soc Iesu, ita & in Imperatorio stẽmate primos martyres, vtpotè prima ex gentibus aggregata Christo, iure meritò Martyrum Regi & Principi, Christo, obtulerit.

5 Aurelianus. huius Principis integritatem moralem non solum indulta ad fauorem supremę authoritatis Romani Pontificis, quem sub nomine Vrbis. Romæ Episcoporum homo ethnicus intelligit, commendant, verùm plura alia toto Imperij sui spatio actitata. inter alia, quod vnicum sororis filium, orbus ipse filijs, quia hospitis vxori vim intulerat, publico affecit supplicio. extat mentis eius ęquissimę nobilimus index apud Vopiscum Epistola ad Vicarium suum, antequam imperaret data, quam sicuti Cardinalis Baronius non est dedignatus Ecclesiasticis Annalibus inserere, ego inter notas Valeriæ nobilitatis, Principis Valerij nominis, fortè affinitate eiusdem gentis, vti & nationis eiusdem, referre non grauabor. tanquam decus Valeriæ nobilitatis eximium.

Si

Si vis esse Tribunus, immo si vis viuere, manus militum contine. nemo pullum alienum rapiat, ouem nemo contingat, vuam nullus auferat, segetem nemo deterat, oleum, sal, lignum, nemo exigat, annona sua contentus sit, de præda hostis, non de lachrymis prouintialium habeat, arma tersa sint, ferramenta samiata, calceamenta fortia, vestis noua vestem veterem excludat, stipendium in baltheo non in popina habeat, torquem bracchialem & anulum apponat; Equum saginarium suum defricet, captum animal non vendat, mulum centuriatum comiter curet, alter alteri quasi seruus obsequatur, à Medicis gratis curentur, Haruspicibus nihil dent, in hospitijs caste se agant, qui litem fecerit vapulet. hæc ille.

6 Cum Numerianus Princeps patri Caro per similis in omnibus paucorum dierum spatio Romano præfuerit Imperio, & nihilominùs plurimi martyres sub illo passi legantur omnibus fermè anni mensibus, facilè quicunque triennio quo bellum inter eius fratrem & Diocletianum ab eius obitu arsit, pro Christo decertarunt, illius Imperio adscribuntur, ex eo quòd ille Antiochiæ Babilam Episcopum martyrio affecisset.

7 Murgum. alij Murtium, quidam Margum, & Mursorum Ciuitatem appellant. præfuit ei sub Constantio Constantini filio Valens Episcopus Arrianorum antesignanus. progressu temporis in speciem vici, Mohacz incolis appellatū est, inter Drauū in Danubium influētem, ipsumq; Danubij alueum situm, cāpo cladibus humani generis satis funestum, hic enim post Carinum, à Constantino Licinius, à Constantio Magnentius, à Theodosio Eugenius ingenti clade Tyranni sunt profligati; & auorum

rum memoria infelici casu Ludouicus Rex Vngariæ cęsus.

8 Felicem facilè credidissem eum, qui tunc temporis Salonitanæ Ecclesiæ præerat, postmodum à Galerio Maximiano martyrio coronatum, nisi eodem tempore haberemus Felicem in Africa Episcopum Tubrocensem, seù Thibariensem, quem Baronius emendatius Tibirensem legendum putat, nono Kalendis Nouembris martyrem, Diocletiano decies & Maximiano Consulibus. qua in Prouincia tanquam monstris hęreseos fęcundissima, credibile est impia illa contra Christi Humanitatem opinione exoriente, Caiũ ad Felicem scripsisse, potiùs quã ad Felicẽ in Dalmatia; quæ regio (vt ex Epistolis Roman. Pont. est colligere) singulari diuinæ benignitatis auxilio, ab ipso Christianæ fidei exordio, ad præsentem vsque diẽ, nulla hæretica suspicione laborauit. quod etiam ex ipsius Epistolę verbis potest colligi, quibus mentio fit extremarum mundi partium, quæ benè per Africam extremam Romani Imperij marginem possunt accipi.

9 Claudium cum Maximo, fratrẽ fuisse Caij, & Gabinij non vno, sed pluribus locis in ipsis actis S. Susannæ tàm apud Surium, quàm Mombritium est videre. quod Beda in Martyrologio clarissimis verbis expressit dum ait: Eadem die duodecimo, nempè Kal. Martij, Sanctorum Martyrum Claudij, & vxoris eius Præpedignæ, & filiorũ Alexandri, & Cuthiæ, & fratris Claudij beati Maximi, qui cum essent præclarissimi generis, agente fratre eorum Gabinio Presbytero, baptizati sunt à B. Gaio Pontifice.

10 Illyricos. præter ea quæ in nostro de Cęsaribus Illyricis

lyricis Dialogo olim notauimus, Sextus Aurelius Victor dum de adoptatis per Diocletianum & Maximianum Galerio, & Constantio meminit, His, ait, omnibus sanè Illyricum patria fuit. qui memores beneficij à Valerio sanguine accepti, Valerij quoque cognominari voluerunt, cum posteris; quare Constantij filius Constantinus, cognomen hoc suis addidit nominibus. cum Aurelio. hinc Baronius huiuscemodo Epygramma ex ædibus Cęsijs Annalibus inseruit.

MAGNO ET INVICTO
IMP. CÆS. C. VAL. AVREL.
CONSTANTINO. PIO. FEL.
INVICTO AVG. PONTIF. MAX.
TRIB. POTEST. CONS. III. PP.
PROC. D. N. CORPVS CORIARORVM
DEVOTI NVMINI MAIESTATIQ;
EIVS.

11 Ex collatione actorum dictorum Sanctorum martyrum Viti, & Modesti, & temporis quo Diocletianus Imperium deposuit prudens Lector facilè poterit ferrè sententiam de ijs, quæ in hanc rem breuiter attigimus.

12 Hac occasione operæpreciũ ostẽdisse ducimus, Romanos Principes Romanarũ legũ statutis, & maiorũ exẽplo, Christianæ pietati insultasse. & quoad exẽplum, vt ab eo incipiamus, constat ab ipso exordio propalatæ reli-

gionis

gionis nostræ, Romanos Principes Christianiti fuisse infestos. ita ex Suetonio colligit Baronius, quinquagesimo primo anno primi sęculi Christiani, nomine Iudęorum pulsos fuisse Roma Christianos, à Claudio Principe. hunc qui secutus est Domitius Nero, adeò in Christianos exarsit, vt etiam apud Ethnicos authores, Tacitū videlicet & Suetonium, nimia & iniuriosa in Christianos inhumanitas eius appareat. post Neronem adeò nullus à Christianis insectandis destitit, vt quem omnium Principum optimum Romani censuere, Traianus, licet per Plinium edoctus, quanta iniuria Christianos innocentissimæ vitæ homines, ad mortem vsque vexaret, toto tamen tempore sui Imperij acerbissimus in eos extiterit. vt mirùm non sit, si cuius virtutes solemnibus acclamationibus, ac publicis votis in auguratione sequentium Principum, Romanus imprecabatur populus, eiusdem quoque solertiam in persequendis Christianis, ipsi Principes imitarentur. vndè etiam ipse M. Aurelius Antoninus, Philosophiæ nomine, & singulari modestia celebratus, post Apologias pro Christiana religione acceptas, post victorias maximi momenti Christianorum precibus obtentas, post leges pro ipsis latas, morti proximus illos vexare non omisit; vt patet ex Annalibus Ecclesiasticis. Quoad autem leges maiorum, adest Cicero Libro Secundo de Legibus, apud quem extat sanctio duodecim tabulis constituta: Separatim nemo habessit Deos, neue nouos, sed ne aduenas nisi publicè adscitos, priuatim colunto. Huius legis tenacissimus Męcenas (vt author est Dio. Lib. 52.) non tantùm Deos peregrinos in Vrbem, verùm etiam externos homines alienæ religionis culto-

res,

res, ad Romanorum Deorum cultum, diris etiam supplicijs adigendos, Augusto persuasit; eam potissimum rationem prętexens, vt securitati Reipublicæ consultum esset. vndè nec ipsis Imperatoribus liberum erat absque Senatus consulto, Deos in Vrbem adsciscere alienos, vt de Tiberio testatur Tertullianus in Apologia. quibus legibus atque consuetudinibus, cum alias atque alias complures Principes addidissent sanctiones, exemplo suo roboratas; citra pęnam sacrilegij in Christianos nõ sæuire, non poterant Imperatores. Causa qua Christiani omni insectatione digni censebantur Romanis, ea erat, quòd omnium scelerum rei, tàm in Deos, quàm in homines habebantur. Hinc Anthenagoras Atheniensis Philosophus, Apologia pro Christianis Imperatoribus M. Aurelio Antonio, & Aurelio Commodo oblata; Trium, inquit, flagitiorum infamis rumor de nobis spargitur, Impietas quæ Deos tollat, Epulæ Thiesthææ, Concubitus incesti. ita ille. Minutius verò Felix in Octauio, nomine Cęcilij Ethnici Christianam religionem, sed iniustè carpentis hæc ait: Cum Abderitem Protagoram Athenienses viri, consultè potiùs quam profanè disputantem, & expulerint suis finibus, & in concione scripta eius deriserint; quid homines (sustinebitis enim me impetum susceptæ actionis liberiùs exerentem) homines inquam deploratæ, inlicitæq; ac desperatæ factionis, grassari in Deos, non ingemiscendum est, qui de vltima fęçe collectis imperitioribus, & mulieribus credulis, sexus sui facilitate labentibus, plebẽ profanæ coniurationis instituunt, quæ nocturnis congregationibus, & ieiunijs solemnibus, & inhumanis cibis, non sacro quodam, sed piaculo fęderantur;

rantur; latebroſa & lucifugax natio, in publico muta, in angulis garrula, Templa vt buſta deſpiciunt, Deos deſpuunt, rident ſacra, miſerentur miſeri, ſi fas eſt, Sacerdotum honores & purpuras deſpiciūt ipſi ſeminudi. proh mira ſtultitia, & incredibilis audacia, ſpernunt tormenta præſentia, dum incerta metuunt, & futura; & dum mori poſt mortem timent; ita illis pauor & fallax ſpes ſolatio rediuiuo blanditur. ac iam vt fęcundius nequiora prouenitunt, ſerpentibus in dies perditis moribus per vniuerſum Orbem, ſacraria iſta teterrima impiæ coitionis adoleſcunt. eruenda prorſus hæc & execranda conſenſio. occultis ſe notis, & inſignibus noſcunt, & amant mutuo penè antequam nouerint; paſſim etiam inter eos velut quædam libidinum religio miſcetur; ac ſe promiſceuè appellant fratres & ſorores. vt etiam non inſolens ſtuprum interceſsione ſacri nominis fiat inceſtum. ita eorum vana & demens ſuperſtitio ſceleribus gloriatur. nec de ipſis niſi ſubſiſteret veritas, maxima & varia, & honore præfanda, ſagax fama loqueretur. audio eos turpiſsimę pecudis caput Aſini conſecratum, inepta neſcio qua perſuaſione venerari. digna & nata religio talibus moribus. alij eos ferunt ipſius Antiſtitis & Sacerdotis colere genitalia, & quaſi parentis ſui adorare naturam. neſcio an falſa, certè occultis nocturnis ſacris appoſita ſuſpicio; & hominem ſummo ſupplicio pro facinore punitum, & Crucis ligna feralia, eorum cęremonias fabulatur, congruentia perditis ſceleratisq; tribuit altaria; vt id colant quod merentur. iam de initiatis tyrunculis, fabula tàm deteſtanda, quàm nota eſt: infans farre contectus, vt decipiat incautos, apponitur ei qui ſacris imbuitur; is infans

à ty-

à tyrunculo farris superficie, quasi ad innoxios ictus prouocato, cęcis occultisq; vulneribus occiditur. huius proh nefas sitienter sanguinē lambunt. huius certatim membra dispertiunt; hac fęderantur hostia; hac conscientia sceleris ad silentium mutuum pignerantur, hæc sacra sacrilegijs omnibus deteriora. & de conuiuio notum est, passim omnes loquuntur; id etiam Cirtensis nostri testantur oratio. ad epulas solemni die coeunt, cum omnibus liberis, sororibus, matribus, sexus omnis homines, & omnis homines, & omnis ætatis; illic post multas epulas, vbi conuiuium caluit, & incestæ libidinis ebrietate feruor exarsit, Canis qui candelabro nexus est, iactu affulæ, vltra spatium lineæ qua vinctus est, ad impetum, & saltum prouocatur; sic euerso & extincto conscio lumine, impudentibus tenebris, nexus infandæ cupiditas inuoluunt per incertum sortis; etsi non omnes opera, conscientia tamen pariter incesti; quoniam voto vniuersorū appetitur, quicquid accidere potest in actu singulorum. hæc & alia plura Minutius. adde quod calamitates omnes solitas Romanis contingere, Christianorum flagitijs prouocari credebant. ita Arnobius initio suæ disputationis: Quoniam, inquit, comperi nonnullos qui se plurimum sapere suis persuasionibus credunt, & insanire, baccari, & velut quiddam promptum ex oraculo dicere: postquam esse in mundo Christiana gens cępit, terrarum Orbem perijsse, multiformibus malis affectum esse genus humanum; ipsos etiam cęlites derelictis curis solemnibus quibus quondam solebant inuisere res nostras, terrarum ab regionibus exterminatos. hæc ille: Tertullianus item in Apologia Cap. 2. Christianum, inquit, hominem, om-

nium ſcelerum reum, Deorum, Imperatorum, legum, morum, naturæ totius inimicum exiſtimas. ob idq; tradit habitos eos hoſtes publicos. Quos, inquit, exiſtiment omnis publicè cladis, omnis popularis incommodi eſſe cauſam; ſi Tiberis aſcendit, ſi Nilus non aſcendit in arua, ſi cælum ſtetit, ſi terra mouit, ſi fames, ſi lues, ſtatim Chriſtianos ad Leonem. ita ille. huc accedebat quòd quicquid magicis ſceleribus Caldæus, ſuperſtitioſis aduuentis Ægyptius, flagitioſis impoſturis Iudæus, impietate morum Heretici per ea tempora, monſtruoſiſſima fecunditate emergentes, effinxiſſent, ſomniaſſent, auſi eſſent, perpetraſſent, id totum nulla diſtinctione habita, Chriſtianis imputabatur. cuius rei indicium, qua ratione nimirùm Romani eiuſcemodi hominum fecem nomine Chriſtianorum comprehenderent, habemus Epiſtolam Hadriani Augusti, Principis alioquì accuratiſſimi, & vel minutiſſimarum rerum obſeruantiſſimi indagatoris, quippè qui curioſitatis gratia Romanum Orbem peragrauit, in Chriſtianis tamen rebus dignoſcendis cōmuni ethnicorum more cecutientis. ea eſt apud Vopiſcum in Saturnino.

HADRIANVS AVG. SERVIANO CVSS. SALVTEM.

AEgyptum quam mihi laudabas Seruiane cariſsime, totam didici leuem, pendulam, & ad omnia famæ momenta volitantem. illi qui Serapin colunt Chriſtiani ſunt, & deuoti ſunt Serapi, qui ſe Chriſti Epiſcopos dicunt. nemo illic Archiſynagogus Iudæorum, nemo Samarites, nemo Chriſtianorum Presbyter, non Mathe-

ma-


maticus, non Aruſpex, non Aliptes. ipſe ille Patriarcha cum Ægyptum venerit, ab alijs Serapidem adorare, ab alijs cogitur Chriſtum. genus hominũ, ſeditioſiſſimum, vaniſſimum, iniurioſiſſimum. & poſt pauca: Vnus illis Deus eſt, hunc Chriſtiani, hunc Iudæi, hunc omnes venerantur. hæc Hadrianus. at quàm ab impuro Serapide colendo, cęteriſq; idololatriæ figmentis Chriſtiana religio abſuerit, nulli dubium eſt. dum igitur Romani Principes in Chriſtianos inſurgebant, non tanquam inſolidæ virtutis amatores; vtpotè tanti boni penitùs ignari, quamq; humano ſtudio, ſine fauorabili superni luminis ſplendoris aſſequi ſit impoſsibile; & quæ non currentis neque volentis, ſed Dei, Paulo teſte, miſerentis, prærogatiua conceditur; verùm tanquam in flagitioſiſsimum genus hominum, Dijs inuiſum, Reipublicæ pernicioſum, ipſiſq; Principibus formidandum, ferro flammisq; vltricibus, alterna æmulatione, vrgente antiquitatis exemplo, lege ſacrato, irruebant. at ſub Diocletiano Principe, ijs omnibus acceſsit, id quod ex Euſebio, teſte vt aiunt oculato, eo nimirùm tempore viuente, & omnia vidente, retulimus.


113. Spalatenſis Vrbs ex Palatio Diocletiani nomen ſortita, ſicuti locum & męnia; à Palatio enim primum Spaletium, diutius eſt appellata, demùm Spalati nomen obtinuit. coli autem cępit & Ciuibus repleri ab eo tempore, quo Mauritio & Heraclio imperantibus, Auares Salonas Dalmatiæ emporium, amplíſsimamq; totius regionis Vrbem euerterunt: profugi enim Ciues cum prius ſe cum familijs in proximas inſulas recepiſſent, mox mitigatis Barbaris, tributisq; pactis delinitis, vt habet Tho-

mas Spalatensis antè 400. annos Archidiaconus, ad munitiora loca mari proximiora, lares retulerunt; Seueroq; Episcopo authore, Palatium Diocletiani quadratis marmoribus structum, altissimisq; turribus ex eodem candido marmore circumdatum, barbaris Salonas euersas terrore magis quam incolatu tenentibus, Vrbis loco coluerunt. cuius ambitum cum progressu temporis angustius Ciuibus seruandis animaduertissent, parte Palatij Occidentalis demollita, noua mœnia antiquis addiderunt: extant ad hodiernam diem tres partes murorum Palatij, mira maiestate insigniq; artificio; sicuti & templum integrũ à Diocletiano Ioui, iam verò, Deo viuo, eiusq; Martyri Domnio Salonitanis olim ab Apostolorum Principe, antistiti assignati, cum metropoliticis honoribus dicato, cum plurimis alijs Diocletianæ magnificentię argumentis, omninò visendæ: quæ quoniam Antonius Proculianus vir inter nostrates eximij ingenij, Oratione ad Spalatenses habita, exacta diligentia descripta publicauit, ommitto. incoluit post Diocletianum idem Palatium, ex Romanis Principibus post centum, & vltrà annos, Romano fastigio deturbatus ab Oreste Patritio, Augustulum filium, fatali interitu Augustorum substituente, Iulius Nepos, vbi & ad vltimum vitæ spatium, propè Glicerium, quem idem ex Imperatore Romano ad Episcopatum Salonitanum, post Principatum nec annuum, compulerat, miro rerum humanarum instabilitatis, & charitatis Christianæ ab eodem Glicerio Episcopo, erga suum olim deturbatorem humanissimæ exhibitæ exemplo. Huius Vrbis Palatio Diocletiano succedentis, cum antè quinquaginta annos, vna ex Turri-

bus austrum spectantibus, repentino casu, reliquis integris, corruisset, intra latissimi muri hiatum inuectum est sarcophagum porphireticum antiquæ artis, literis Diocletiani nomen vnicum exprimentibus insculptum, quatuor in angulis, lucernis testaceis elegantissimè fictis extantibus. in medio sarcophago vrna parij marmoris cineres continebat, basis eius circũlubatur liquore quodam fragrantiæ incredibilis, exiguæ admodum quantitatis, iamq; spissa densitate coagulato, vt magis vnguentum quam liquorem præseferret. cui supernatabat frustulum orbiculare cranij humani, in speciem numismatis amplioris efformatum, altera parte effigiem hominis, ad medium pectus loricati, cum ingenti casside militari in capite, promissa barba, raro sanè & insolito æquè ac elegantissimo suprà quam credi posset opere, celatam exhibens. quam cum numismatibus Diocletiani collatam, omninò Principis ipsiusmet imaginem, in eiusdẽ capitis fortè cranio sculptam creditum est, si tantùm barba Romano more restringatur; quam Diocletianum post depositum Imperium, priuatamq; vitam inter suos bationales agentem, patrio more promissam gestare voluisse, conijciatur. eam vt antiquitatis gemmam SS. D. N. Vrbano VIII. antiquarum virtutum obseruantissimo, nuper obtuli tibi verò beneuole Lector, illius exemplar, Valeriæ nobilitatis breuiter explicatæ coronidem, tuæ benignissimæ patientiæ in illa cognoscẽda minusculũ spectãdũ propono. Addo & Diocletiani faciem, qualis fuit antè priuatam vitam, dum nimirùm Imperator, Romano more barbam compescuit, ex multis numismatibus, eiusdem Principis, apud me ex diuersis terrarum partibus redactis, & ami-

corum gratia hac in parte in me propensissimis præsertim verò D. Ludouico Companio Ciue Romano, & D. Claudio Burgundo de antiquitate optimè meritis vt ex collatione vtriusque Diocletianum cranium, & imaginem agnoscas;





Omittere denique nullatenus debeo, quæ Petrus Damianus Romanæ sacræ purpuræ perenne decus, & post summas in Ecclesia dignitates Pij otij, & secessus amator honesti, de eodem Principe in Epistola ad Cadaloum scribit Antipapam inter alia: Planè, inquit, Diocletianus Imperator Regalis fastigij insigne deposuit, & non procul à Salonis per nouem ferrè annos ad obitum priuatus, in amena virentis hortuli cultura permansit, qui cum ab Herculeo, atque Galerio ad recipiendum obnixè rogaretur Imperium, tanquam pestem aliquam perhorrescens, hoc fertur dedisse responsum: Vtinam Salonæ possetis olera visere nostris manibus instituta, profectò nunquam iudicaretis hanc sarcinam nostris iterum ceruicibus imponendam. hæc ille.

Si-

14 Sirenum authorem monasticæ vitæ satis constat, ex eo quòd tabulæ Ecclesiasticæ ad 23. diem Februarij eundem Monachum appellant sub Maximiano Galerio martyrem. quo tempore certum est disciplinam Monasticam in Orbe Christiano fuisse incognitã vnico Paulo Eremita solitudinem Ægypti incolente, Antonius enim magnus Monasticæ vitæ institutor, sub Constantino, qui post Galerium imperauit, floruit. porrò ex Sireni schola Monachorũm examina repleuisse Illyricas regiones, prçter Scriptores vitæ S. Martini, qui eum in patria Monasticã vitam duxisse, antequã pater Monasteriorũ fieret in Gallia affirmãt, D. Hieronymus testis locupletissimus est; is enim in Epitaphio Nepotiani, ad Heliodorum eius patruum, scribit; Eundem arsisse desiderio pergẽdi ad Monasteria Ægypti, Mesopotamiæ; aut Insularum Dalmatiæ. idem ad Iulianum cõciuem suum scribens, laudat illum, quod Monasteria extrueret, & multus ab eo per Insulas Dalmatiæ Sanctorum numerus sustentaretur. Et sanè iure suo Illyrici eiuscemodi pietatis disciplinam sũt professi antè alios, vt ij qui primi ex gentibus authore Paulo Apostolo gremio Catholicæ Ecclesiæ sunt aggregati, vt patet Actorum Apostolicorum Cap. 16. vndè S. D. N. Vrbanus Papa Octauus, in Bulla fundationis Collegij Illyrici Lauretani, optimo iure nationem Illyricam, Primogenitam in gremio Catholicæ Ecclesiæ appellat.

F I N I S.

ERRATA.

Pag.	Verſ.	Errata.	Correctio.
7	vlt.	artipente lege	arripiente
10	27	deſtitutis	deſtituitis
16	18	Chriſtiana	Chriſtianæ
27	23	ductaq;	ducta
33	23	Archiuo	Archiuio
47	4	luces	lues
48	11	Principi	Principis
ibid.	20	nuntius	nuncius
49	12	priuata vitam	priuatam vitam
50	13	libere	bibere
ibid.	18	hæ	hæc
55	25	Euangeliſla	Euangeliſta
64	9	Gabininus	Gabinius

ERRATA.

Pag.	Vers.	Errata.		Correctio.
7	vlt.	arripente	lege	arripiente
10	27	destitutis		destituitis
16	18	Christiana		Christianæ
27	23	ductaq;		ducta
33	23	Archiuo		Archiuio
47	4	luces		lues
48	11	Principi		Principis
ibid.	20	nuntius		nuncius
49	12	priuata vitam		priuatam vitam
50	15	libere		bibere
ibid.	18	hæ		hæc
55	25	Euangelisla		Euangelista
64	9	Gabininus		Gabinius